



LIBER IV. LOGICAE


DE METHODO.

CAPUT PRAEVIUM

DE METHODO IN GENERE, OBJE- CTO ET PARTITIONE HUIUS LIBRI.

§. 1.

Cur Liber iste Logicae de methodo inscribatur?

 Diversis cogitationum speciebus earum-
que signis haecenus expositis restat, ut
de modo, quo iisdem in veritate tam
inveniendi quam docenda uti debeamus,
dara opera loquamur: qui modus, cum
aliud non sit, quam quod methodum vocamus, in-
telligis cur liber iste Logicae (Logicam practicam
adpellant alii) de methodo inscribatur.

§. 2.

Methodus quid & quotuplex?

Methodum esse viam seu modum verum, quod latet, *inveniendi*, & illud, cum jam inventum est, & alios docendi, consentiunt Auctores; nec magis circa ipsam methodi divisionem discrepant; utpote cum methodum in analyticam & syntheticam pene omnes dividant, ita tamen, ut divisionis hujus fundamentum alii ex duplici methodi officio seu objecto potius in ipsa ejus definitione jam indicato, quatenus methodus circa verum vel inveniendum scilicet, vel docendum occupatur, alii contra & jove quidem aequiore sentientes ex vario in verum tam inveniendum quam docendum tendendi modo repertant.

§. 3.

Quid methodus analytica? quid synthetica?

Quare, quid methodi utriusque nomine intelligatur, paucis declaramus: ac methodus primo analytica nobis illa est, qua a posteriori seu per experientiam cognitiones primum singulares, atque ex his notiones rerum universales, atque ex notionibus porro universalibus veritates generales colliguntur; methodus autem synthetica est, qua ex notionibus rerum generalibus speciales eruuntur, ac ex veritatibus universalibus speciales deducuntur, demonstranturque. In methodo igitur analytica a singularibus ascenditur ad universalia; in methodo autem synthetica a generalibus ad specialia descenditur. Utraque in veritate tam inveniendam quam docendam apte potest adhiberi.

§. 4.

§. 4.

Ulterior methodi divisio.

Methodus porro, praecipue quatenus in veritatibus tradendis adhiberi solet, in scholasticam, ramisticam, dialogisticam, erotematicam, mathematicam &c. dividitur.

Methodus scholastica in eo consistit, ut praemittantur notamina tam definitionibus quam divisionibus ponendis, tum formando quaestionis statui destinata: ex quo sententia ipsa proponitur, & syllogistice probatur; objectiones denique ponuntur, eaeque syllogistice solvuntur. Praecipui hujus methodi, si non auctores, cultores saltem fuisse Petrus Lombardus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas & alii aevi medii Doctores.

Methodus ramistica, quae & causalis dicitur, universam rei tractationem praemissa ejusdem definitione ac divisione ad quatuor causarum genera revocat, & primum causam materialem sive subiectum quaestionis, exinde causam formalem sive differentiam specificam, tum causam efficientem, ac causam denique finalem expendit. Praeterea, si quando res ita tulerit, ad contraria, quae rem cessare faciunt, dilabitur. Primus hujus methodi auctor, a quo & nomen ducit, dicitur esse Petrus Ramus Philosophus olim parisiensis.

Methodus dialogistica est, in qua tractatio cujusdam quaestionis placito ac reciprocato hinc inde sermone deducitur. Hanc scribendi, instruendique methodum in deliciis olim habuere varii Philosophi, Socrates, Plato, Aeschines, Xenophon
alii-

alique pene multi, quorum dialogi de variis quaestionibus philosophicis hodieum extant.

Methodus erotemata tractationem omnem per quaestiones & breves responsiones absolvit. Exempla hujus methodi praebent rudimenta fidei, Catechismi &c.

Methodus mathematica, si vel ipsos Mathematicorum libros & scripta, ac speciatim ill: Wolffii de methodo mathematica commentationem consulamus, in eo consistit, ut definitiones, axiomata & postulata, & in Mathesi mixta etiam experientiae ceu demonstrandi principia praemittantur, exinde ponantur theoremata & problemata, atque ex his porro rite prius demonstratis corollaria deducantur, quae, si e re visum fuerit, subjunctis scholiis illustrantur, confirmanturque.

Sed de his, ac de methodo praesertim mathematica, an & in quantum illa a methodo naturali, scientifica differat, pluribus infra disputabitur.

§. 5.

Specialior methodi divisio.

Pro diversitate eandem mediorum, quibus in veritate seu inquirenda, seu tradenda utimur, dividitur methodus in methodum experiendi, legendi, interpretandi, meditandi, convincendi, disputandi &c.: de quibus toto hoc quarto logices libro seorsim differetur.

§. 6.

Totius libri hujus distributio.

Quandoquidem vero de veritate seu inquirenda, seu tradenda & cum aliis communicanda toto hoc Logicae libro disputare constitutum sit, in duas eum partes distribuimus ita, ut quae ad veritatem inveniendam pertinent, in prima, quae ad eam cum aliis communicandam spectant, in altera ejusdem parte complectamur.





LIBRI IV. LOGICAE

P A R S I.

DE HIS, QUAE AD VERITATEM IN-
VENIENDAM PERTINENT.

C A P U T I.

DE VERITATE, VARIA AC MULTIPLICI
HUIUS VOCIS SIGNIFICATIONE ET USU.

§. 1.

*Veritas quid, & quotuplex? cur ejus notio hic
denuo exponatur?*



Veritatem in genere per conformitatem seu
convenientiam eorum, quae simul esse
perhibentur, definiri, ejusque quatuor
in scholis species communiter distingui, metaphy-
sicam scilicet, physicam, moralem & logicam jam
supra *Lib. 2. part. 1. Cap. 2. §. 2.* diximus; at quia
de veritate hic ex instituto est agendum, ejus antea
notionem hic denuo exponere necessum ducimus.

§. 2.

§. 2.

Verum quid, & quotuplici sensu dicatur?

Esse verum idem plerumque sonat, ac esse reipsa; in quo sensu illud modo verum est, quod reipsa existit, & quod non existit, falsum est. Atamen fert usus ipse loquendi, ut verum quandoque etiam dicatur, quod, licet reipsa non existat, nec unquam forte exiturum sit, esse tamen non repugnat; atque in hoc sensu verum potissimum accipiunt Philosophi, quando veritatem in cognoscibilitate, ut ajunt, objectiva constituunt, verumque esse dicunt, quidquid concipi seu cogitari potest; & quidquid contra cogitari nequit, cognoscibilitatem non habet, falsum esse arguunt. Verum utroque hoc sensu acceptum objective, & prius quidem veritate physica, reali, existentiae, veritate autem metaphysica, ideali seu merae possibilitatis posterius verum esse dicitur.

§. 3.

De veritate logica cogitationum.

Cogitationibus porro nostris veritas tribuitur, eaeque dicuntur esse verae, quatenus rebus ceu objectis suis sunt conformes, seu quatenus id ipsum & non aliud in cogitatione continetur, quam quod objecto convenit: Hanc veritatis speciem logicam adpellant, eoquod Logica eam potissimum adtendit; eamque duplicem praesertim in ideis aliqui distinguunt formalem scilicet & objectivam: veritatem formalem tribuunt ideis, in quantum ea, quae in idea exhibentur, simul & ceu determinationes aut praedicata subjecti unius cogitari possunt;

quae

quatenus autem haec ipsa praedicata objecto, ad quod referuntur, reipsa conveniunt, ideam objective veram esse ajunt: quam distinctionem & nos omnino faciendam esse putamus, licet illa aliis admodum displiceat, qui aliud ideae objectum agnoscere nolunt, quam, quae in idea exhibentur, praedicata seu determinationes.

§. 4.

De veritate propositionum.

Sermo quoque seu propositiones quandoque verae sunt: imo triplex ratione harum veritas distinguitur, moralis, logica & hermeneutica. Sermo moraliter censetur esse verus, si cognitioni proferentis sit conformis, seu si sermonem proferens id & non aliud, ac reipsa cognoscit, eloqui intendat: logice verus est sermo, si, quod sermone enuntiat, reipsa & ita quidem se habeat, sicuti sermo enuntiat. Unde intelligis, veritatem sermonis *logicam* non minus ac cogitationum in conformitate cum objecto, *moraalem* vero in conformitate ejusdem cum cognitione constitui. In eo tandem, quod quis sermonem quandam audiens vel legens intantum a loquente vel scribente sensum adsequatur, veritas sermonis seu propositionum hermeneutica consistit.

* * *
*

CAPUT II.

DE HIS, QUI VERITATEM HACTENUS
IMPUGNAVERUNT.

§. I.

Quod stultum sit, de veritate universe dubitare; quod plures tamen eandem inficiati sint, qui sceptici propterea cognominantur.

Quaquam nihil aequae certum ac indubitatum esse omnibus oporteat, quam dari veritatem: cui enim nisi mente capto in mentem veniat ambigere, num re ipsa aliqua existant? num praeter ea, quae existunt, multa adhuc alia existere queant, sintque possibilis? Certe non abs re arguit nonnemo, ei, qui non ore solum, sed ex animo dubitat, num verum quid usquam liceat offendere, hunc modo insaniae ac furoris gradum esse reliquum, ut dubitet porro, utrum revera dubitet. Hoc tamen non obstante fuere homines tam bardi dicam, an supra modum sapientes, qui omnem universe veritatem in dubium vocare non sunt veriti, sceptici propterea cognominati.

§. 2.

Scepticorum classes.

Scepticorum tamen classes in scholis distinguuntur; alii nimirum rigidi, moderati autem alii dicuntur. Illi, si propriam cujusque existentiam exceperis, hanc enim, qui inficias iverit, quan-

R

tum

tum novimus, nullus adhuc fuit, nihil esse verum edixere; quaedam isti vera admisere, sed veris tamen omnibus semper falsa esse admixta, nec inter utraque discerni satis posse, adeoque nihil adferendum, verum de omnibus contra dubitandum esse, statuerunt. An & quinam utriusque classis sceptici extiterint, ex mox dicendis, ubi praecipuas saltem scepticorum sectas, eorumque doctrinas paucis indicabimus, uberius patebit.

§. 3.

Secta Pyrrhonica.

Inter primos ac praecipuos veritatis hostes Pyrrhonicum jure recensentur. Philosophi isti (si tamen hoc nomine digni sint homines omne philosophiae fundamentum subvertentes) nihil esse certum, sed in aeterna incertitudinis caligine omnia jacere sepulta docuere; quam doctrinam eorundem antesignanus Pyrrho Eleus ex lectione philosophiae Democriteae, cujus haec quasi epitome fuit, praeter atomos nihil esse verum, opinione caetera constare, hausisse censetur.

§. 4.

Schola Academica.

Idem doctrinae argumentum mox alia philosophorum schola, academica scilicet adoptavit; schola ista, quae principem reverebatur Platonem, magistri primum placitis diu fideliter adhaesit. At ex quo Arcefilaus scholae huic praeesse coepit, rejecta Platonis doctrina res sensum ferientes incertas esse omnes, imo mera phaenomena, seu
inania

inania potius phantasmata esse, nec posse etiam ratione verum quid intelligi, verbo, non esse quidquam, quod sciri possit, docuit.

§. 5.

Idealistae. Egoistae.

Idealistae dicti sunt, quicumque nullam rebus corporeis extra mentem existentiam tribuerunt, plures tamen animas seu mentes, in quarum scilicet ideis res omnes corporeae constarent, non negarunt: Qui vero nec plures quoque animas existere, aut earum saltem existentiam in dubium jure vocari, docuerunt ita, ut sui tamen ipsius, animae scilicet propriae existentiam quisque non inficiaretur, Egoistae sunt vocati.

§. 6.

Sceptici recentiores.

Exinde, cum sceptici nomen probrosum esse coepit, rarius equidem inventi sunt, qui scepticismum, sicut haecenus recensiti, palam profiterentur; non desuere tamen, imo nec modo desunt, qui veritati, quam palam impugnare verentur, occultas quasi insidias struere non erubescunt. Atque hi tales plerumque prima humanae cognitionis principia fontesque dolose adoriuntur, sensuum fallacias exaggerant, rationis imbecillitatem objiciunt, concludendi formas vituperant, veritates omnibus certas in controversiam trahunt, & per experientiam evincere conantur, non esse veritatem, circa quam plane consentiant mortales, sed contra, quae aliis certa

sunt, haec ab aliis non raro falsa ostendi: scepticis isti si non rigidis, moderatis tamen omnes jure adnumerantur.

§. 7.

*An scepticismi jure rei arguantur Cartesius
alique dubitationem Commendantes?*

Scepticismi a quibusdam insimulari solent viri a studii praesertim philosophici emendatione celeberrimi veluti Cartesius alique, eoquod dubitationem generalem omnibus commendandam esse duxerint. Verum ex livore tamen, non ex aequitate, aut veritatis studio profectam esse ejusmodi criminationem, consideranti facile patebit: Viri namque isti, inter quos eminet Cartesius, videntes barbariem scholasticam ubique invaluisse, nimiamque corruptis Aristotelis, aliorumque philosophorum dogmatis reverentiam haberi, & figmenta quaevis absurdissima pro veritatibus, quin & pro principiis veritatis obrudi, malis hisce dubitationem ceu medium, quo nullum opportunius, adhibuere; nihil scilicet sine adcurato examine ceu verum esse admittendum, & ita de omnibus semel saltem in vita dubitandum esse statuerunt: quem dubitandi modum a scepticismi vitio longissime abesse, nemo non intelligit. Interim negari tamen etiam non potest, in dubitatione ista aliquos subinde excessisse ita, ut ex scepticorum censu eximi vix queant, & alios quidem, ut ingenii vim portenderent, veluti inter reliquos magis notus est Bailius, qui, quemadmodum non nemo ait, in deliciis habuisse videtur, ut homines in fide perturbaret; alios, quod revelationis ne-

cessi-

cessitatem inde efficacius probari sibi persuadebant; atque ex istorum numero fuisse videntur, Petrus Daniel Huerius Episcopus Abricensis in Lib. *de imbecillitate mentis humanae*, & Hieronymus Hirnhaim Abbas praemonstratensis in Lib. *de Typo generis humani*.

C A P U T III.

DARI VERITATEM, EAMQUE CERTO
AB HOMINE COGNOSCI POSSE CON-
TRA SCEPTICOS ADSEMITUR.

§. I.

*Quaedam esse vera, eaque certo vera cognosci
ex ipsa scepticorum sententia pro-
batur.*

Quotquot veritatem hactenus impugnaverunt, scepticorum nullus adhuc propriam negavit existentiam. Adeo hanc omnes semper certam habuerunt. Undenam vero tanta de veritate ista, quod existat, cuius certitudo? nisi quod Sensu intimo clare quisque percipit, se esse sui rerumque extra se positarum aut saltem ceu extra se positarum sibi conscium, adeoque cogitare, nec posse cogitantem non existere; quare sceptici hoc ipso, quod veritatem hujus iudicii, *ego existo*, ceu certam admittant, quemadmodum admittunt omnes, inficiari amplius nequeunt veritatem duorum iudiciorum: *quisquis cogitat, existit; ego cogito; ex*
R 3
qui-

quibus ceu a priori deducitur veritas illius: *ego existo*. En! qualiter in ipsa scepticorum sententia quaedam certo vera cognoscantur.

§. 2.

Dari corpora seu res extra nos positas sensibiles, item corpus proprium ex sensationibus probatur.

Quemadmodum sensu primum intimo sui ipsius, seu animae potius propriae existentia certo cuius constat; sic ex sensationibus porro alii existentia rerum extra nos positarum corporearum, existentia itidem corporis proprii certo nobis innotescit. Sensationes rationem sufficientem existentiae in nobismet ipsis seu in mente nostra non habent, quemadmodum id constat *1mo* claro sensus intimi testimonio, quo patet, sensationes in nobis non tam agendo quam patiando produci. Eiusdem porro ope sensus intimi accurate distinguimus sensationem inter & imaginationem, seu talem rei perceptionem, qua illam nobis reipsa praesentem ita, ut organa nostra ab illa adficiantur, percipimus, & aliam, qua rem nobis quidem absentem ceu praesentem in cogitationibus nostris sistimus. *2do*, ex sensationum qualitate: sensationes enim alias nobis gratas, alias ingratas esse & molestas, quas libenter a nobis amoliremur, sensu intimo constat. Quodsi vero anima suas ipsa sensationes produceret ita, ut totalis ipsa & adaequata earum causa esset; non utique molestas, sibi contrarias & in destructionem quasi sui ipsius tendentes in se formaret, sed has plane a se arceret. *3tio*, ex ordine & perfectione in sensatione

fationibus: quodsi enim admissio, quod univ-
 vere existat, ex dispositione ordinatissima partium
 ejusdem, quae sensuum primum ope nobis inno-
 tescunt, ad ens aliquod Sapientissimum, imo sum-
 me & infinite perfectum, hujus universi Auctorem
 efficaciter concluditur, quemadmodum Theolo-
 gia naturalis docebit; quidni animam, si haec re-
 bus non existentibus rerum ipsa repraesentationes ac
 eodem quidem ordine, eadem perfectione in se
 produceret, sapientissimam imo summe & infinite
 perfectam esse adfirmeretur? sed id genus sapien-
 tiam perfectionemque animae haud inesse expe-
 rientia intima constat. 4^{to}, ex successione sensa-
 tionum: etenim sensationes in nobis contingentes
 esse, experientia intima nemo non convincitur;
 unde patet, eas in anima ejusque essentia ceu causa
 adaequata fundari haud posse; nihil igitur est reli-
 quum, quam ut cum harmonistis dicatur, sensa-
 tionum in se invicem fundari ita, ut praecedens
 semper contineat rationem subsequens. Verum
 haec hypothesis, praeterquam quod rationem sen-
 sationum sufficientem & adaequatam haud suppe-
 ditet, experientiae repugnat. Sensationes igitur
 ab ente extra nos posito vere existente necessario
 dependent. Ex quibus omnibus manifestum est,
 existere vere extra nos vel res ipsas, quas sentien-
 do ceu extra nos positas nobis repraesentamus,
 vel saltem ens aliquod unum summe & infinite
 perfectum, quod rebus hisce corporeis minime
 existentibus rerum tamen, ac si re ipsa existerent,
 repraesentationes in nobis producat: unum neces-
 sario videtur esse admittendum, & alterutro ad-
 missio aliud haud difficulter evincitur; quemad-
 modum in Theologia naturali ex contingentium
 existentia, & summo in iis ordine & perfectione

existentia entis necessarii, summa ac infinita ejusdem sapientia & perfectio demonstratur: & hoc ente infinite perfecto semel admissio sequitur, illud ceu veracissimum & infinite bonum non posse nos in falsum inducere, quod fieret, si corpora minime existerent: etenim vel ii etiam, qui corpora re ipsa extra nos existere inficiantur, negare tamen non audent, nos sentiendo illa nobis ceu extra nos posita repraesentare, atque in hac ipsa repraesentatione contineri mutationem factam in organis proprii corporis; ut ita mens nostra sentiendo tacita quasi vi impellatur ad judicandum *imo*, se unitam esse substantiae cuidam corporeae, *2do* existere alia extra se corpora, quae mediante mutatione ab ipsis quomocumque facta in organis proprii corporis percipiat? Accedit, quod Deus ceu ens illud infinite bonum & perfectum vehementissimum quoddam ac insatiabile sciendi verumque cognoscendi desiderium animae impresserit; quod certe Conditoris infinite boni donum tormentum potius foret nominandum; si non modo nulla ad veri cognitionem via nobis pateret, sed &, quod secundum dispositionem naturalem verum reputatur, falsum tamen foret.

* Cl. Feder §. 62. *Log.* totam hanc de corporum existentia controversiam litem esse de nomine opinatur, ac cum Idealista transigere se posse putat, transigitque satis quidem ingeniose, sed ita tamen, ut nihil permittat Idealistae, nec rerum existentiam, realem inquam non modo idealem, vere stabiliat.

§. 3.

An & in quantum qualitates corporum physicae ex sensationibus nobis innotescant?

Quodsi ceu verum semel admittatur, quemadmodum id modo demonstratum dedimus, existere revera res, quas corpora vocamus, atque ab iis dependere sensationes nostras; ex ipsis porro sensationibus probatu difficile non est, in corporibus existere etiam, quod qualitates eorum physicas vocamus, aliquid nimirum ex certa partium dispositione nexuque resultans, per quod sensationes nostrae varie modificantur. Verum cum ista sensationum modificatio, utut eam a certa objecti ejusque partium dispositione seu nexu dependere constat, nihilo tamen minus a proprii quoque corporis ejusque organorum ac medii constitutione multum varietur, quemadmodum id supra *Lib. I. Part. I. cap. 2. §. II.* notarum fuit; non immerito exquiritur, an & in quantum verae corporum qualitates ex sensationibus nobis innotescant, seu an & in quantum constare possit, sensationis modificationem ab ipso demum objecto ejusque partium dispositione reipsa proficisci: quam quaestionem hic paucis enodabimus. Experientia certum est, in quo vel ipsos iterum Idealistas habemus consentientes, quod objecta plurima a multis, imo, si paucos exceperis, ab omnibus eodem ferme modo percipiuntur ita, ut sensationes similes, similiter modificatae in omnibus aut plerisque saltem ab iisdem objectis producantur. Sic mel esse dulce, amarum absinthium, vel tales saltem in se sensationes ab objectis istis sive realiter sive etiam idealiter solum existentibus produci,

duci fatentur omnes, quales ad objecta referendo eadem aut dulcia dicimus aut amara; absit enim, ut qualitates corporum physicas aliquid in rebus simile sensationibus inde in nobis subortis esse dicamus, quas modo meminimus non esse nisi aliquid ex certa partium dispositione seu nexu resultans. Jam vero quid obstat, quo minus adferatur, ejusmodi modificationem sensationis in omnibus aut saltem plerisque similem, qua idem objectum a plerisque eodem plane modo percipitur, ab objecto proficisci, eamque ad illud referendo ejus dici qualitatem. Sed nunc ipsa porro experientia edocti novimus, aut scire saltem possumus, an & in quantum sensationes nostrae non modo univérse, sed & seorsim singulae sensationibus reliquorum sint conformes, & ita, quam in sensatione modificationem deprehendimus, ab objecti dispositione vere dependeat. Ex sensationibus itaque & rerum quoque qualitates physicae certo cognosci possunt.

§. 4.

An & quomodo ex sensationibus ideas rerum universales adquiramus?

Quae sensibus percipimus singularia modo sunt & individua, *Lib. I. Part. I. Cap. 2. §. 9.* item §. *proxime praeced. 2.* at hoc tamen non obstante facile intelligitur, qua ratione ideas rerum universales ex sensationibus adquiramus: etenim, cum res aliter nobis, quam per qualitates haud innotescant, nec tamen qualitates istae una omnes, sed seorsim modo & per intervalla ope sensuum a nobis percipiuntur, easdem nobis non omnes
simul

simul sed seorsim unam sine aliis repraesentare solemus. Unde fit, ut rei primum qualitates, ac praefertim illam, cujus nobis primo ac prae aliis in re sumus confcii, cum re ipsa confundamus, ac, si exinde in re quadam alia qualiratem huic similem deprehendimus, ambae res, aut plures etiam menti simul obversentur, & nos inter eas minime discernentes illas nobis ceu unam quasi rem exhibeamus. En! qua ratione ex sensationibus formentur ideae universales.

§. 5.

Quomodo ex sensationibus notiones rerum universales distinctae & completae acquirantur?

Idea universales, de quibus modo diximus, quae & in quantum, nobis id quasi non advertentibus, formantur, incompletae omnes adhuc sunt & confusae; sed quando tandem ad crescentem rationis usu reflectere, ac reflectendo singulas rei qualitates, quae & in quantum primum ope sensuum cognitae fuerunt, explorare adsuefactus est homo, inter illas quidem alias constantes, variables autem alias, alias rei cum rebus aliis communes, alias eidem proprias & per quas illa a rebus aliis discernitur, & quasdam denique ceu reliquarum rationem continentes deprehendit, atque has sibi seorsim sine aliis repraesentando notiones rerum universales distinctas & completas adipiscitur.

§. 6.

§. 6.

Quomodo ex sensationibus notionem Spiritus formemus?

Nec rerum tamen modo corporearum ideas universales distinctas & completas ex sensationibus mediante, sicut dictum est, abstractione, reflectione, &c. nobis comparamus; sed vel ipsam quoque notionem spiritus modo haud multum dissimili ex sensationibus formamus: reflectendo enim super ea, quae in nobismet ipsis, in anima, dico, propria contingere sensu intimo percipimus, facultates primum viresque, quibus illa pollet, deprehendimus, atque inter has exinde non minus ac inter corporis qualitates quasdam reliquarum quasi rationem continere intelligimus, hasque seorsim sine aliis notionem comprehendendo notionem nobis spiritus generalem comparamus. Quomodo ex hisce per analogiam & ope rationis ad notionem usque spiritus perfectissimi ceu entis simpliciter & infinite perfecti ascendamus, alibi dicitur.

§. 7.

An & in quantum ex notionibus universalibus probetur veritas, ac primo quidem idealis?

Veritatem in praecedentibus consideravimus, in quantum illa solo vere sensuum usu nobis innotescit. Verum sicut ipsa veritatis cognitio non ad sensus, sed ad rationem, seu ad facultates animae non inferiores, sed superiores, quas rationis nomine hic comprehendimus, pertinet; sic per
rati-

rationem denique uberius patefcit veritas: quodfi enim rationis demum ufu varias rerum notiones generales homo fibi comparaverit; quam illas faepe inter fe convenientes deprehendet ita, ut earundem convenientiam haud quaquam ipfe queat inficiari, easque vere inter fe convenire vel invitus cogatur admittere; fic habitis totius, partisque item & majoritatis notionibus, totum efle majus fua parte, aut qui novit, quid duo, quid quatuor, quidve fit duo bis fumi, bis duo efle quatuor nemo vel Idealifta etiam, licet nec totum ille, ac confequenter nec partes reipfa dari tribuat, inficias ibit: veritate faltem ideali haec vera efle, admittere cogetur.

§. 8.

Quomodo ex ipsis porro notionibus probetur veritas realis?

Sed nec difficilius eft veritatem quoque realem ex notionibus probare; quod ut praestemus efficacius, duplicem hic denuo notiones adquirendi modum diftinguimus, analyfin fcilicet feu resolutionem, & Synthefin feu compositionem. Illa ex fenfationibus, ficuti modo §§. *praeced.* 5. 6. dictum fuit, abftrahendo, reflectendo &c. notiones univerfales adquiruntur: hac notiones univerfales aliunde jam acquifitas magis magisque determinando novas rerum notiones univerfales nobis comparamus. Nullum porro, nec Idealiftam quoque obftinatiffimum negare putem, veritati cognitionum ideali realem respondere, fi modo fubjecti notio realis fit, feu aliquod reipfa exiftat objectum, cui determinationes, praedicata, vel quo-

quocunque alio vocabulo quis significare eadem voluerit, in subjecti notione comprehensa conveniant. Jam vero, licet ideas universales per Synthesin determinando, quas ita formamus, notiones alias reales esse continuo haud constet: multa enim possibile sunt, ac proinde concipi & cogitari queunt, quae non ideo tamen continuo etiam existunt. Quodsi autem notiones universales per analysin ex ideis scilicet intuitivis fuerint formatae ita, ut, quod sensu intimo constare potest, nihil, quod in ideis intuitivis haud continebatur, fuerit admixtum; eas esse reales hoc ipso constabit, quod ideae sensuales seu intuitivae, ex quibus formantur, reales sint; nunc autem jam supra probatum dedimus, de idearum sensualium, intuitivarum realitate certos nos esse posse; quid igitur obstat, quo minus de notionum quoque universalium per analysin formarum realitate, & ita de veritate cognitionum reali ex notionibus universalibus certi esse valeamus?

C A P U T IV.

DE PRIMO CERTITUDINIS PRINCIPIO.

§. I.

De certitudine in genere ejusque divisione.

Certitudinis quidem nomen in praecedentibus jamjam non semel adhibuimus, ita tamen, ut quaenam voci huic notio respondeat, nondum sit expositum; unde id ipsum nunc, ubi de primo certitu-

tudinis principio agere constituimus, praestandi locus erit. Certitudo in scholis duplex communiter distinguitur subjectiva scilicet seu formalis, & objectiva. Certitudo objectiva rei tribuitur, quatenus illa determinata est ita, ut ex praedicatis contradictorie oppositis unum rei insit; cumque ex praedicatis contradictorie oppositis unum semper rei insit, nec, quod inest, possit simul non inesse, omne verum objective certum esse constat, seu certitudo rei objectiva semper competit. Quandoquidem vero ex praedicatis ejusmodi contradictorie oppositis vel unum rei necessario convenit ita, ut alterum eidem haud unquam inesse possit, vel alterutrum eidem successive saltem convenire potest; certitudo objectiva in necessariam & contingentem, & necessaria in absolutam porro & conditionatam seu hypotheticam dividitur. Ast de his plura in metaphysica, ubi notiones necessarii & contingentis fusius exponendae sunt. Certitudo quoque subjectiva seu formalis, quae describi potest, *quod sit firmus ac indubius mentis assensus ob veritatem satis cognitam*, varie dividitur; ac primo quidem in metaphysicam, physicam, & moralem; quae divisio communior est, atque inter alias frequentius occurrit. Certitudo metaphysica, quae absoluta est, nonnunquam geometrica, theoretica etiam seu systematica vocatur. Physica non est nisi conditionata seu hypothetica, sicut & moralis; illa innititur hypothese, quod naturae leges extent, quae nec interveniente miraculo mutatae sint. Haec quod dentur leges stabiles, ad quas entium intelligentium actiones liberae componantur; quanquam circa notionem certitudinis moralis haud ita consentiant Auctores; sed nec nostri id instituti est, ut singulorum hic opiniones enar-

enarremus. De certitudine igitur subjectiva unum illud hic adhuc notasse sufficiat, quod illa solum relativa sit, eamque ex cuiusque cognitione solum liceat metiri. Unde quod ratione hujus certum est, ratione alterius id minus esse potest. Idem tamen ejusque contradictorium uni eidemque simul nequit esse certum.

§. 2.

De convictione & persuasione.

Veritati certo cognitae non possumus non adfentiri, imo potius veritas in tantum nobis certa est, in quantum momentis omnibus sufficienter expensis ceu verum quid admittere, vi quasi tacita impellimur; cum autem de veritate quoque convictus esse dicatur, quisquis veritatem ita perspicit, ut quasi coactus ceu verum quid admittat; convictionem a certitudine nonnisi gradu forte distinctionis differre manifestum est. A convictione tamen adcurate discernenda est persuasio; de veritate enim persuasus esse dicitur, quisquis ceu verum quid admittit, quin cur illud verum sit, curque ceu verum id admittat, sufficientem ipse sciat rationem.

§. 3.

Principium quid & quotuplex?

Principium in genere definiunt, quod sit id, quod alicujus continet rationem. Per rationem autem intelligunt omne illud, ex quo cognoscitur, cur aliquid sit potius, quam non sit, cur potius sit hoc, quam alio modo, ac duplex in scholis
com-

communitèr distinguunt effendi scilicet aliud, & aliud cognoscendi; hoc, utpote quod hic unice spectamus, juxta datam principii definitionem est, quod continet rationem, cur aliquid revera cognoscatur.

§. 4.

Quid primum certitudinis principium?

Quodsi principium, puta, cognoscendi esse dicatur, quidquid rationem continet, cur aliquid revera cognoscatur; principium certitudinis & quidem primum esse manifestum est, quod rationem continet, cur caetera sint certa, nec ipsum rursus, cur certum sit, rationem habeat in alio.

§. 5.

An detur aliquod primum certitudinis principium, & quodnam sit illud?

Sed quaeritur, an revera detur principium aliquod primum certitudinis, & si quod detur, quodnam sit illud? &, licet circa primum quaestionis hujus membrum facile consentiant Auctores, admittendum scilicet esse aliquod primum certitudinis principium; circa alterum tamen multa haecenus contentione inter philosophos disceptatum, nec tamen res satis decisa, sed adhuc quasi sub iudice lis est: alii enim ceu primum certitudinis principium admittunt, ac pro eo ceu pro aris & focus pugnant, principium sic dictum contradictionis, quod sequenti propositione exprimitur: *idem non potest simul esse & non esse*. Alii contra praesertim post Cartesium ceu primum statuunt principium evidentiae, sequenti propositione expressum: *quid*
 § *quid*

quid in idea clara & distincta alicujus continetur, id de eo certissime potest affirmari; ac pro eo pariter acerrime decertant. Quae tanta philosophorum circa rem hanc dissensio id tandem effecit, ut quidam duo admiserint, admittantque etiam nunc aliqui principia prima certitudinis, unum scilicet objectivum, subjectivum aliud, illud contradictionis, hoc evidentiae esse affirmatens. Atque hoc ipsum forte inter philosophos dissidium nos animos despondere faceret, nosque cohiberet, ne circa rem hanc aliquid statuere praesumamus, nisi haec plane ignorari haud posse, aut saltem non debere, nobis persuasum haberemus. Macti igitur animis! tentabimus, num forte spes sit, ex perturbato hoc agmine evadendi, & an determinatum hic statui quid possit; neque tamen ad aliud quid, quam ad ipsam primum experientiam recurrimus; ut, quae nam homines pro certis habeant, hoc modo cognoscamus; constat autem experientia, homines pro certis habere, quaecunque aut sensu clare percipiuntur, aut evidenter vera cognoscuntur, aut denique cum alterutro ex his evidenter intelliguntur esse connexa: quid enim est, quod omnibus adeo semper certum fuerit, se percipere, judicare, adperere, averfari, nisi quod haec sensu intimo clare quisque percipiat? quid est, quod nullus ambigat, omne totum esse majus sua parte, nisi quod evidenter id ipsum cognoscatur? quid est tandem, quod ceu stultos & submota mente delirantes communiter despiciant Idealistas corporum existentiam negantes? quid est, inquam, quod vel ipsi etiam Idealistae & his prorerviores adhuc Egoitae propriam tamen sui, seu animae potius propriae existentiam negare non sint ausi, si non, quod haec cum iis, quae sensibus clare percipiuntur, connexa esse

esse evidenter cognoscantur? Quodsi nunc in rationem, cur, quae ita cognoscuntur, ceu certa ab omnibus semper fuerint admitta, & etiam nunc admittantur, inquirere quis velit; facile comperiet, eam aliam non esse, quam quod, quae ita cognoscuntur, ceu vera non admittere haud valeamus, seu quod necessitate quadam naturae quasi coacti pro veris illa habeamus. Unde non video, quid obftet, quominus propositionem hanc: *quidquid omnibus sufficienter expensis ceu verum admittere vi quasi impellimur, certum est*, utpote quae omnis demum certitudinis rationem continet, primum certitudinis principium esse statuamus.

CAPUT V.

DE EVIDENTIA ET DEMONSTRATIONE.

§. I.

Evidentia quid & quotuplex?

Omne evidens esse certum *Cap. praeced. §. ult.* dictum est. Quare quid evidentiae nomine veniat, distinctius nunc erit exponendum. Est autem evidentia juxta definitionem in scholis jam receptam clarus ac distinctus intuitus veritatis seu convenientiae, quae veritatis character est praecipuus; & quia convenientia haec vel inter ipsas statim notiones & immediate, vel mediante primum notionum resolutione, aut unius ad alia quaecun-

que certa relatione distincte innotescit, evidentia quoque vel immediata est, vel mediata.

§. 2.

An & qualem utraque in nobis certitudinem pariat?

Evidentiam in nobis certitudinem parere ex dictis manifestum est. Unde illud modo restat disquirendum, qualem in nobis utraque pariat. Circa evidentiam immediatam, quod illa scilicet certitudinem in nobis metaphysicam & absolutam semper pariat, consentiunt Auctores. Idem de evidentia quoque mediata adseverant alii, aliis id contra negantibus: nobis videtur, quemadmodum id ipsum hic mox dicenda comprobabunt, evidentiam mediatam certitudinem in nobis modo quidem metaphysicam & absolutam, modo solum physicam aut moralem parere; prout nimirum ea, ad quae aliud quid referimus, ac cum illis convenire id deprehendimus, fuerint vel metaphysice & absolute, vel physice solum aut moraliter certa. Sic, quod cum sensatione solum externa connexum esse intelligitur, non potest esse nisi physice certum, utpote cum certitudo, quae per sensum habetur, sit solum physica; nec possit, quod per aliud certum evadit, eo, per quod certum est, majorem habere certitudinem. De sensationibus tamen modo externis haec intellige: etenim quae sensu demum intimo clare percipiuntur, metaphysice seu absolute certa sunt.

§. 3.

De demonstratione universe.

Demonstrare in genere est veritatem quandam adhuc incertam ex veritatibus aliis certis & indubiis legitimo nexu deducere. Veritates illae certae & indubiae, ex quibus alia deducitur, demonstrandi principia *cap. praeced. §. 1.* quae vero ex illis deducta est, vocatur demonstrata; veritas demonstrata evidens evidentia nimirum mediata, ac proinde certa est, potestque exinde principii loco adhiberi in demonstrando. Demonstrandi habitus, seu facilitas quaedam veritates quascunque adhuc incertas ex aliis certis & indubiis deducendi scientia salutaris; scientia igitur, sicut habitus quiscunque alius, non nisi repetitis actibus ac frequenti exercitio acquiritur.

§. 4.

De demonstratione a priori & a posteriori.

Demonstrationis variae sunt species, ac primo quidem demonstratio alia a priori, & a posteriori alia est, pro diversitate scilicet principiorum, quae in demonstratione adhibentur. Demonstratio a priori dicitur, in qua principiorum loco non adhibentur nisi veritates modo universales, quales sunt definitiones, axiomata & postulata, vel theoremata etiam & problemata, a priori tamen jam demonstrata. Demonstratio a posteriori vocatur, si loco principii in eam admittatur experientia quaedam, certa tamen; experientiarum autem nomine veniunt cognitiones quaecun-

que intuitivae seu per sensus immediate acquisitae. Demonstratio a priori legitima metaphysicam, a posteriori itidem legitima non nisi physicam parit certitudinem.

§. 5.

De demonstratione analytica & synthetica.

Demonstratio porro vel analytica est vel synthetica. Analytica est demonstratio, in qua a veritatibus specialibus adhuc incertis ad veritates generaliores tamdiu ascenditur, donec ad principia plane certa ac indubia, definitiones scilicet axiomata vel experientias etiam certas sit perventum. In demonstratione autem synthetica a principiis generalibus seu veritatibus quibuscunque certis ac indubiis ad specialia descenditur. Haec, ut a Tyronibus magis capiantur, exemplo illustrabimus: sit itaque demonstrandum, *animam hominis interire non posse nisi per annihilationem*; quod analytice sic demonstrabitur.

Ens simplex interire non potest, nisi per annihilationem;

atqui anima hominis ens simplex est;

ergo anima hominis interire non potest, nisi per annihilationem.

Majorem supponimus esse certam utpote jam demonstratam alibi, aut adhuc demonstrandam;

pbtr min:

Spiritus ens simplex est;

atqui anima hominis spiritus est;

ergo anima hominis ens simplex est.

Majorem denuo aliunde certam esse supponimus;

pbtr

pbtr min:

Omne ens intellectu & voluntate praeditum spiritus est;
atqui anima hominis ens intellectu & voluntate praeditum est;
ergo anima hominis spiritus est.

Major in hoc syllogismo per definitionem spiritus, cujus est convertens, certa est; minor constat experientia.

Syntheticè hoc ipsum demonstrando ordine, quò sequitur, inverso procedetur;

Omne ens intellectu & voluntate praeditum spiritus est;
Atqui anima hominis ens intellectu & voluntate praeditum est;
ergo anima hominis spiritus est.

Spiritus ens simplex est;
atqui anima hominis spiritus est;
ergo anima hominis ens simplex est.

Ens simplex interire nequit nisi per annihilationem;
anima hominis ens simplex est;
ergo anima hominis interire nequit nisi per annihilationem.

§. 6.

De demonstratione directa seu apodictica & indirecta seu apagogica.

Demonstratio rursus vel directa est seu apodictica, vel indirecta seu apagogica. Demonstratio directa est, in qua veritas adhuc incerta vel no-

tionum resolutione, velejusdem ad veritatem quamdam aliam certam & indubiam relatione certo comprobatur. Indirecta est, in qua non ipsa veritas, sed ejus contradictorii falsitas certo demonstratur. Dicitur autem hac ratione veritas ipsa saltem indirecte demonstrari; quia, cum duo contradictoria simul seu vera seu falsa esse nequeant, unius falsitate demonstrata, alterum ut verum sit necesse est. Sic animae immortalitatem indirecte saltem demonstrat, quisquis animam esse mortalem falsum esse evidenter ostendit.

§. 7.

*De demonstratione ordinata & inordinata,
completa & incompleta, consummata &
non consummata.*

Demonstratio in ordinatam tandem & inordinatam, completam & incompletam, item in consummatam & non consummatam dividitur. Demonstratio ordinata dicitur, si judicia seu propositiones omnes eo se ordine excipiant, quo in ratiociniorum serie continentur, secus est inordinata. Completa est demonstratio, in qua omnia demonstrandi principia adcurate indicantur; in qua nonnulla reticentur, incompleta. Demonstratio tandem consummata est, quando & ordinata simul est & completa; quaecunque vero demonstratio vel inordinata est, vel incompleta, consummata non est.

§. 8.

Quaedam corollaria.

Ex dictis ceu corollaria certa elicimus sequentia: Demonstrationem imo absolvi aut consummari haud posse nisi per certam ratiociniorum vel argumentationum rite ordinarum seriem; ex quo porro consequitur, demonstrationem quaecunque consummatam certum syllogismorum numerum complecti; necesse tamen non est, ut in demonstratione etiam verbis expressa propositiones singulae omnesque exprimantur, sed sufficit, si modo rite indicentur, sicut in mathematicis id fieri consuevit.


CAPUT VI.

DE PRAECIPUIS ERRORUM FONTIBUS,
ET DUBITATIONE CEU GENERALISSIMO
EORUNDEM REMEDIO.

§. 1.

*Quod humana cognitio admodum limitata sit
& imperfecta, & ita erroribus obnoxia.*

Quanquam, quod ex dictis constat, scientia seu certa & evidente rerum naturalium cognitione gaudeant mortales; omnem tamen scientiam humanam admodum limitatam ac valde im-



perfectam esse liquet: etenim, cum vel minimi etiam pulvisculi corticem modo seu nonnisi exteriorem superficiem noscamus. *Lib. 1. P. 1. cap. 4. §. 14.* Quid erit, si tota haec rerum creatarum universitas, ac infinitae quasi singularum ad singulas omniumque ad creatorem relationes expendantur? quis hic fateri non cogetur, infinita esse, quae sciri queant, pauca, quae sciantur? unde innumeris in cognitione humana defectus, erroresque sequi necesse est, sicut ex mox dicendis magis adhuc patefiet.

§. 2.

Defectuum in cognitione humana fons primus ac praecipuus animae cum corpore conjunctio.


Defectus equidem in ente quovis contingente absolute necessarius est adeo, ut, si fieri id posset, ens desinat esse contingens, quam primum incipiat omni carere defectu *vid. Ontolog.*; sunt tamen istorum in cognitione humana defectuum fontes quidam ultronei, & minus, absolute saltem, necessarii; ac inter eos fere primus ac praecipuus est animae cum corpore conjunctio; etenim anima pars haec hominis nobilissima, munus hoc excellentissimum, immortale mortalibus a Deo immortaliter concessum omnigenis a Deo donis seu facultatibus praestantissimis dotata non res modo, sed rerum quoque nexum causasque, atque suum ita Auctorem cognoscendi, amandique capax in usu tamen virium suarum a corpore massa hac lutea propter arctissimam inter utramque hanc hominis substantiam conjunctionem dependet ita, ut primum qui-

quidem exerere easdem sine corpore haud posse videatur, nec exinde etiam, ne a realibus ad idealia, a veris ad imaginaria ac conficta deflectat, plane carere eo in cognitionibus suis possit. Quae, cum experientia certa sint, argumentis ultra stabilire superfedemus, unicum id adhuc admonentes, quod capere non possimus, qua ratione ii, qui ingenuo veritatis zelo acti temeritatem scholasticis impropertant, quod rerum cognitiones non per experientias seu ex intuitu hujus universi, utpote earum fonte proprio haurire, sed ex cerebro confingere praesumerint, ac etiamnunc praesumant; capere, inquam, non possumus, qua ratione viri isti veritatem hic propositam in dubium vocare audeant.

§. 3.

Immoderata sciendi libido errorum in cognitionibus humanis fons alius.

Alius priori suppar, si non exitior errorum in cognitionibus humanis fons est nimius ac immoderatus sciendi pruritus cum mentis limitatione in homine conjunctus; etenim, quod homines in cogitationibus a vero saepius aberrant, si verius fateri fas sit, non tam est, quod cognitio humana angustis circumscripta sit limitibus, quam quod inordinata sciendi libidine seducti mortales intra limites hosce sibi praescriptos se se non contineant, sed eos contra transire ausu temerario praesumant: etsi enim vires mentis humanae ingenti ac quasi infinita rerum vel hujus solum universi copia, ne quid de perfectionibus entis infiniti a creatura haud comprehendendis dicam, longe minores sint; ita tamen



men sapientissimo supremi Numinis consilio ordinata sunt omnia, ut, quae ad vitam & pietatem pertinent, nosse datum sit mortalibus. Sed sapientissima hac Dei ter optimi maximi dispositione non contenti mortales ingrati altius plerumque cognoscendo quasi volare attentant. Unde fit, ut in errores quosque absurdissimos praecipites ruant, & cerebri figmenta pro veritatibus avide prehendant maxime, si huic sciendi pruritus nimia aut in semetipsis aut in aliis confidentia, de qua mox pluribus dicendum est, accedat.

§. 4.

*Quanti errores ex nimia aut in semetipso
aut in aliis confidentia emanent?*

Cum nimia & immoderata sciendi libidine, de qua §. praeced. dictum est, in homine plerumque conjungitur nimia aut in semetipso aut in aliis confidentia §. eodem; ex qua ceu turbido quodam fonte innumeros in cogitando errores scaturire necesse est: facit enim nimia haec, quam in nobismet ipsis aut in aliis etiam habemus, confidentia, ut, quidquid aut nobis videtur, aut alii, in quibus confidimus, inconsulte dictitant; ceu veritates certas ac indubias indiscrete recipiamus; quod malum esse pessimum eo semper est perniciosius, quo errores illi generaliores fuerint: etenim, sicuti ex veritate quadam cognita universalis veritates plures alias cum ea connexas ratiocinando deducimus *Lib. 3. Part. 1. Cap. 1. §. 1.* adeo, ut prope cognitum has inter & illam nexum seu convenientiam certae nobis fiant: *hoc Lib. Cap. 5. §. 3.* sic vel ex uno quoque errore praesertim uni-
ver-

versaliori errores alios quam plurimos oriri primum est. Accedit, quod errorem quemcunque semel admissum, quales, si universaliores fuerint, praejudicia vocantur, deponere admodum sit difficile. *Lib. 2 Part. 1. cap. 3. §. 8. & sqtbs.* quem enim philautia, seu immodicus ac inordinatus sui ipsius amor homini post lapsum proprius, quod erraverit, fateri facile permittit? imo verius difficile hoc alicui persuadebitur.

§. 5.

Adfectus inordinati cognitionum veritati multum officunt.

Errorum fontes haecenus recensiti, quos per ignorantiam & mentis in judicando praecipitantiam simul comprehendere licebit, generaliores modo sunt, & qui humanas cognitiones universae corrumpunt; quodsi nunc speciales quosque errorum fontes seorsim enarrare quis vellet, nullus narrandi foret finis; unum tamen alterumve & adfectus primum inordinatos silentio hic praeterire plane non possumus. Hi certe, quantum veritatis cognitioni obsint, quotque in cogitando errores ab iis promanent, credi vix poterit; adfectus enim quiscunque inordinatus hominis mentem quasi loco suo mover, rationis usum turbat, & vel ipsas etiam sensationes non raro vitiat, aliena ipsis admiscendo ita, ut sentire nobis saepe videamur, quod minime tamen sentimus, & nonnisi per imaginationem ipsi nobis fingimus.

§. 6.

§. 6.

Praejudicia sensuum quam sint frequentia?

Quot quantique a sensibus in cogitando errores proficiantur jam supra *Lib. 1. Part. 1. Cap. 5. §. 5. & sqts.* satis ostensum est; unde hic eadem repetere supervacaneum existimamus, id modo tacitum non praetermittentes, quod, licet omnis rerum cognitio a sensibus primam trahat originem *ibidem §. 4.*, ii tamen ad rerum essentias causasque determinandas minime sufficient; rationis namque illud opus est. Quare iudicium; quodcumque, quo de rerum essentiis causisque ex sensibus immediate iudicatur, non est nisi praeiudicium; quin & praeiudiciis porro adnumeranda sunt iudicia, in quibus de qualitatibus corporum physicis nulla distantiae, medii, organorum etc. habita ratione secundum sensus, seu eorum potius adfectiones iudicatur. Ex quibus intelligis, praeiudicia sensuum frequentissima esse, eaque caeteris plerumque eo difficilius deponi, quo illa citius & a primis quasi incunabulis imbibita usu diuturniori in animo obfirmantur. Sic solem palmaris esse magnitudinis, eumque circa globum hunc nostrum terraqueum diebus singulis moveri, firmamentum montibus extimis sub adspectum cuiusque cadentibus incumbere; quam praeiudicia ista sensuum hisque similia nonnunquam sero nimis ac difficulter tandem dediscimus.

§. 7.

Signorum necessitas, eorumque simul imperfectio multorum in cogitando errorum fons.

Signis utimur non ad cogitationes modo cum aliis communicandas, sed ad has ipsas etiam in-

ter se ordinandas distinguendasque: etenim signis non adhibitis summam cogitationibus confusionem inesse, necesse est; & quidem quod mali summam absolvit, voces, quibus ceu signis ad exprimendas mentis nostrae cogitationes utimur, licet inter signa haecenus cognita magis apta fiat & adcommoda, fere in omnibus tamen, quae ad signi perfectionem requiruntur, multum adhuc deficiunt, *Lib. 1. Part. 2. cap. 1. §. 6. & 13.* voces namque signa satis characteristica non sunt, ut cogitationes distincte, ne dicam, complete & adaequate exprimant. Accedit frequentissimus earumdem abusus: nam, ut caetera taceam, de quibus partim jam dictum est §. *supra citato* 13, quam non abutuntur saepe homines vel solis vocibus possibilis & impossibilis, possibile dicendo, in quo contradictionem modo non vident; & impossibile contra, quidquid possibile esse distincte non intelligunt. Ex quo solo vocabulorum abusu innumeros sequi errores necesse est.

§. 8.

De dubitatione ceu remedio contra errores generalissimo.

Errorum fontes haecenus, quantum necesse visum est, exponere satagemus; unde de eorum nunc remediis saltem generalioribus breviter agendum est. Ceu remedium vero inter alia sicuti generalissimum, ita aptissimum a veteribus jamjam praescripta est, & a recentioribus adhuc commendatur opportuna dubitatio. Sic enim jam olim Marcum filium admonet Cicero, ne incognita pro cognitis habeat, iisque temere adsentiat, sed
ad.

ad considerandas res & tempus adhibeat & diligentiam *Lib. 1. de officiis*: & post Cartesium fere consentiunt, neminem, qui opportune dubitare nesciat, philosophum fore. Verum cum dubitationis nomen valde incertum sit & indeterminatum, nec non, qui dubitat, in dubitando facile excedere possit; dubitationis nomen modumque in dubitando observandum paucis hic exponimus.

§. 9.

Dubitare quid.

Dubitare nonnunquam idem est ac non esse certum: sic de veritate dubitare eum dicimus, qui illam ceu certam non admittit. Ita dubitantem oppositum saltem ut possibile sibi repraesentare est necesse. Sed haec dubitationis notio vulgaris, nec illa est, quam hic spectamus, quatenus nempe dubitationem seu medium ad evitandos in cogitando errores aptissimum post alios quam plurimos praescribimus ac commendamus: dubitare enim hoc intuitu nobis aliud non est, quam cogitationes omnes sensaque adcurato examini subicere, & nonnisi momenti omnibus sedulo satisque expensis ceu verum quid admittere: quam dubitationis descriptionem illi Oratoris §. *praeced.* allatae, nec non recentiorum post Cartesium philosophorum descriptionibus plane conformem esse, facileprehenditur.

§. 10.

Modus in dubitando observandus.

Dubitationem §. *praeced.* descriptam ad evitandos in cogitando errores & ad veritatem certo

cognoscendam medium, si quod aliud, opportunum esse nemo non intelligit. Sed & hic tamen obtinet illud Poëtae: *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere retum.* Certae videlicet in dubitando regulae observandae sunt, nec sine fine dubitandum.

§. 11.

Regulae in dubitando observandae.

Sunt autem inter regulas a dubitante observandas praecipuae 1. ut dubitet ex solo & sincero veritatis amore 2. ne dubitationem ipsam praecipitet, sed, quemadmodum Ciceronem supra monuisse didicimus, ad considerandas res & tempus adhibeat & diligentiam, ut denique 3. debito procedat ordine, ac secundum nexum, quem cogitationes ipsae inter se habent, in earum veritatem inquirat, nullam quasi transiliendo, sed omnes & singulas accurate explorando.

§. 12.

Dubitationis fines.

Quodsi dubitationem non aliter, quam medium ad veritatem certo agnoscendam adhibere velimus; quemadmodum id velle debent omnes, qui illa abuti nolunt; manifestum est, justos dubitandi fines transire quemcunque, qui, postquam veritatem fati superque agnovit, dubitare tamen pergit. Imo cum in paucis modo absolutam seu metaphysicam habere certitudinem concessum sit mortalibus, & certitudine non raro hypothetica, physica nempe seu morali contentos nos esse deceat; nec illi

T

por-

porro intra debitos dubitationis limites sese continere convincuntur, qui certitudinem ubique metaphysicam seu absolutam requirunt.

CAPUT VII.

DE METHODO EXPERIUNDI.

§. I.

Methodus experiundi quid?

Methodus experiundi juxta descriptionem methodi *hoc Lib. cap. praec. §. 2.* datam aliud non est, quam via seu modus veritatem a posteriori seu per experientiam certo cognoscendi, atque omnes in hoc cognitionum genere errores evitandi.

§. 2.

Experientia quid & quotuplex?

Experientiae nomine veniunt cognitiones quaecunque intuitivae seu per sensus immediate acquisitae. Experientia vero duplex communiter & jure quidem distinguitur, plebeja scilicet seu vulgaris & philosophica. Experientia vulgaris est, qua res, prout sensibus objiciuntur, simpliciter & sine ullo ad alia respectu cognoscuntur. Philosophica est, qua quis cognitioni rerum hujus universi intuitivae ex industria & eo quidem fine intendit, ut ex ea vel qualitates rerum physicas cognoscat, vel vires, si quibus gaudeant, intelligat,
vel

vel nexum denique, qui inter res hujus univ^{er}si datur, ejusque leges certo conjiciat. Experientia porro philosophica vel naturalis est, vel artificialis. Experientia naturalis est, qua res in eo statu, quem habent a natura, nihil nempe circa illas immutando considerantur. Artificialis est, qua res, earum statu naturali de industria mutato, & quae hic contingunt, mutationes adnotantur. Experientia naturalis observatio, experimentum artificialis dici consuevit: usū tamen obtinet, ut & instrumenta, quibus quis utitur in experimento exhibendo, experimenta vocentur.

§. 3.

Experientiae vulgares an & quomodo ad philosophicas possint elevari?

Experientiae quidem vulgares a philosophicis haud parum differunt, atque his longe sunt inferiores; possunt tamen & experientiae primum modo vulgares ad philosophicas elevari, elevanturque, si quis illas jam quidem praeteritas, sed per imaginationem tamen in se reproductas caute discernat, eisque ad ulteriorem, sicut modo dictum est, rerum cognitionem utatur.

§. 4.

De ob- & subreptione, vitiis in observando caute vitandis.

Quaquam, quod & quomodo sentimus, id & ita vere semper certoque sentiamus, nec consequenter erremus sentiendo; quo solvitur quaestio inter philosophos hactenus controversa, *num sensus*

fallant, satis quidem confuse proposita; ne tamen per sensus observando scilicet in errores plurimos proni labamur, duo nobis vitia in observando frequentia caute vitanda sunt, obreptionis nempe & subreptionis; illud admittitur, si objectum fugitivo quasi sensu praetervolantes aliqua & ea praesertim, quae praecipue & prae aliis notasse hic intererat, non adverramus: istud autem, quoties sensationibus phantasias, repraesentationes in imaginatione consistentes, admiscemus.

§. 5.

Quibusnam mediis duobus hisce vitiis sit occurrendum?

Pro evitando obreptionis vitio praeter media jam supra *Lib. 1. Part. 1. cap. 6. §. 2.* assignata duo adhuc adverte sequentia, 1. ut organorum simul mediique dispositionem (naturalem utriusque aliunde jam notam tibi esse decet) in casu quovis individuo rite examines, 2. ut distantiam objecti majorem, quoties illud propius accedere non licet, probe advertas. Subreptionis vitium ut quis declinet, caveat 1. ne animo adfectibus agitato, opinionibus aliunde jam praeoccupato etc. observare instituat, 2. ne vocabulis utatur minus determinatis ad sensationes suas exprimendas, 3. ne, quae solius rationis sunt objectum, & nonnisi ex sensationibus per rationem, concludendo scilicet cognosci queunt, per experientiam immediate constare posse putet, veluti sunt relationes rerum quaecunque occultiores, mutationum causae, modusque quo causa influit in effectum &c.

§. 6.

Regulae quaedam generaliores pro experimentis rite instituendis.

Experimentum capere volenti opus est certis instrumentis, quorum ipse bonitatem usumque plane debet habere perspecta, ut ita illorum ope in certas rerum qualitates, mutationes, &c. tuto possit inquirere. Ad experimentum itaque rite instituendum major & quasi duplicata requiritur adtentio partim ad ea, quae observantur, partim ad instrumenta, quibus quis utitur in observando. Porro 2 ad experimentum rite instituendum requiritur aut multum saltem conferre potest jam praevia quaedam cognitio eorum, in quae per experimentum aliquod inquirimus. Regulas has ceu generaliores hic posuimus, specialiores Physicis relinquimus determinandas.

§. 7.

An & in quantum rerum causae per experientiam cognosci queant?

Licet rerum causae non sensuum sed rationis sint objectum; possunt tamen, quemadmodum id supra de essentiis seu notionibus abstractis universalibus monuimus, & rerum quoque causae ex sensationibus & per experientiam non quidem immediate, sed mediante primum ratione seu facultatibus animae superioribus certo nonnunquam cognosci: sed & hic certae iterum cautiones adhibendae, & ex illis quidem generaliores sunt sequentes: 1. ne, quae simul sunt aut fiunt, eorum unum alterius esse causam, continuo existimemus:

T 3

2. ne,

2. ne, quod alterius vere causam esse novimus, totalem statim & adaequatam esse censeamus. Interim ex effectu simili similem jure causam argui, nisi contrarium plane constet, metaphysica *de causis* docebit.

§. 8.

De usu sensus interni in veritatum cognitione.

Sensus internus aliud non est, quam facultas idearum nostrarum habitudinem confuse percipiendi, isque varie dividitur, in sensum scilicet *boni, veri, pulchri* &c. vid. *Lib. I. Part. I. Cap. 2. §. 8.* unde nunc quaeritur, an & quatenus ope talis sensus de veritate certi esse valeamus, & si id esse possit, quae hic veniant cavenda? & certe sicut testante experientia circa qualitates rerum physicas ex sensationibus non raro consentiunt mortales, sic nec in judiciis circa objecta illa sensus interni continuo discere, imo contra in multis pene convenire deprehenduntur ita, ut, si paucos forte malefanos & nec ideo reputandos excipias, quaedam omnes *vera, pulchra* esse alia, alia *bonesta* judicent, & ita quidem judicent, ut, si requiras, cur ita sentiant, aliud non reponant, quam interne convictos, non utique nisi sensus interni convictione, aliter sentire se haud posse. Non itaque video, cur & quomodo sensui interno certitudo deneganda sit. Verum cum & hic tamen in multos iterum errores labi primum sit; cautionibus quibusdam opus est: ceu generaliores notamus sequentes: 1. cave tibi persuadeas, voces, *verum, pulchrum* &c. idem omnibus significare, aut, quibus idem etiam signi-

significans, significationem omnibus aequè amplam habere; unde cave, 2., ne quos verbis hic consentientes habes, reipsa consentire continuo existimes, sicuti nec sensu semper discrepare censendi sunt, qui verbis contradicunt. Caeterum, quae circa sensus in genere cavenda esse diximus, pleraque circa sensum quoque internum obtinent.

§. 9.

De sensu naturae communi.

Communis plurimorum & constans circa objecta sensus interni consensus sensus naturae communis dici consuevit; quem ex recentioribus quidam adeo depraedicant, & inter prima demonstrandi principia praesertim in moralibus nec immerito recentent; eum tamen plerumque minus accurate determinant vid. P. Statl. *Log. Part. I. Sect. V. cap. 1. §. 282.* cave autem: commune quoddam sensuum praejudicium *hoc Lib. Cap. 6. §. 6.* cum sensu naturae communi confundas.


CAPUT VIII.

DE METHODO MEDITANDI

§. 1.

Methodus meditandi quid?

Meditari nobis cum Baumeist. aliisque est, circa cogitationes earumque objecta versari ita, ut ex cognitis incognita, ex certis incerta mediante scili-



scilicet eorum nexu certo eruantur. Unde meditando methodum esse intelligis modum seu ordinem, quo cogitationes ad praefatum hunc finem feliciter obtinendum, seu ad veritates incognitas ex cognitis, ex certis incertas certo eruendas disponendae sunt. Ex his ceu corollaria certa deducimus sequentia.

I. *Feliciter meditari volentem animo plane pacato, & a perturbationibus quibuscunque libero ad meditandum accedere oportet*: etenim cum meditans veritates ex veritatibus mediante scilicet earum inter se nexu certo eruere intendat §. *praeced.* eum hunc ipsum veritatum nexum distincte perspectum habere necesse est *hoc Lib. cap. 5. §. 1. & sequentibus*; cum autem ad hujuscemodi nexum distincte perspiciendum adtentione eaque continuata opus sit, nec possit eam habere, nisi qui animo plane pacato & a perturbationibus quibuscunque libero fuerit, manifestum est, quod diximus, feliciter meditari volentem animo plane pacato & a perturbationibus libero ad meditandum accedere debere.

II. *Meditari volens ante omnia de principiis certis & indubiis sollicitus sit oportet*. Cum enim meditantis sit veritates adhuc incertas ex aliis certis & indubiis certo deducere §. *praeced.*; necesse est, ut meditari volens ante omnia de veritatibus ejusmodi certis & indubiis sit sollicitus; cum vero veritates quaecunque certae & indubiae, quatenus ex illis aliae adhuc incertae certo eruuntur, principia vocentur *hoc Lib. cap. 5. §. 3.*; extra dubium positum est, meditari volentem de principiis certis & indubiis ante omnia sollicitum esse oportere. Unde porro

III. Meditantis esse liquet, ut ad definitiones, axiomata & postulata, experientias itidem certas & indubias animum prae reliquis advertat. De experientiis cum haecenus cap. praeced. sat dictum, axiomata vero & postulata ex definitionibus primum erui necesse sit, de definitionibus ceu primo reliquorum fonte ante alia agendum est.

§. 2.

Definitiones quot quibusve modis formari queant?

Definitione notionem definiti completam & determinatam esse exprimendam dictum est *Lib. 1. Part. 2. cap. 6. §§. 3. & 4.* quod idem est, ac si, ut solent alii, definitionem esse dicas notionem rei completam ac determinatam verbis rite expressam: unde liquet, tot esse modos formandi definitiones, quot dantur modi notionum rerum completas & determinatas acquirendi; & cum modi notionum rerum completas & determinatas acquirendi tres jure distinguantur, analysis scilicet seu resolutio & synthesis seu compositio, ac analogia demum, qua ex notione quadam simili similem aliam formamus *Lib. 1. Part. 2. cap. 6. §. 13.*; tribus porro modis formari posse definitiones, manifestum est.

§. 3.

Quomodo per analysin formentur definitiones?

In definitionibus per analysin a posteriori seu per experientiam formandis (pro uno enim eodemque ista passim accipiuntur) praeprimis advertendum

dum est, an res, an vero nomen rei qualitatem, vim, mutationem, vel relationem solum exprimens sit definiendum. Ad rem (sensibilem illam seu sensibus sive in-five externis perceptibilem esse oportet) a posteriori rite definiendam necesse est, ut cognitione prius intuitiva omnes ejus qualitates, mutationes &c. adcurate innotescant, ac rejectis exinde accidentalibus essentialia & quae inter haec praecipua sunt & reliquorum quasi rationem continent, retineantur, ac verbis denique juxta canones. *Lib. 1. Part. 2. cap. 1. §. 14. & alibi* praescriptos rite exprimantur. In definitonibus nominum loquendi usus praecipue imo unice fere attendendus est *Lib. 1. Part. 2. cap. 6. §. 7. coroll. 3.* hinc, si definiendum sit nomen, casus illi speciales, in quibus ejusmodi nomen adhiberi solet, omnes adnotentur, ac tot exinde pro casu quolibet judicia formentur intuitiva, quot ille suppeditat, quibus inter se collatis patebit, quaenam essentialia, quaenam solum accidentalia fuerint, atque his denuo rejectis, si verbis illa rite exprimantur, nominis habebitur definitio. Quomodo per experientiam formanda sint judicia intuitiva tam adfirmativa quam negativa, in praelectionibus coram ostenderur.

§. 4.

Quomodo a posteriori seu per experientiam ab accidentalibus essentialia, & ab essentialibus secundariis primaria discernantur?

Ut vero, quod ad definitiones a posteriori formandas ex dictis §. *praeced.* plane requiritur,
ab

ab accidentalibus essentialia, ab essentialibus secundariis primaria rite discernas; rem, si fieri id possit, nec aliunde sine opera tua contingat, varie transpone, ut ita variatis rei adjunctis, quaenam illi constanter & in omnibus quibuscunque, & quaenam in his modo vel illis adjunctis constitutae ac proinde variabiliter solum insint, deprehendas: sic praedicata primum constantia a variabilibus, quae hoc ipso solum accidentalialia esse noscuntur, discernes: cum vero, quae rei etiam constanter inesse deprehenduntur, non ideo statim essentialia sint, sed inter constantia quoque quaedam solum accidentalialia esse queant; ut essentialia ab accidentalibus probe internoscas, praedicata, si possis, a re seorsim tolle, ac quibus sublati rem perire comperies, ea essentialia, accidentalialia vero caetera esse jure censabis. Ut demum inter ipsa quoque essentialia a secundariis primaria rite distinguas, adverte 3tio, quaenam reliquorum rationem contineant ita, ut cur ista rei insint, ex illis primum intelligi possit & debeat. Hac demum ratione inter praedicata rei accurate discernere ac definitionem definito nec latiore nec angustiore, sed cum definito vere convertibilem, ac definitionis bonae legibus plane conformem a posteriori formare poteris. Interim negari non potest, solertia ad id opus esse & frequenti exercitio, cui materia in ipsis praelectionibus subministrabitur.

§. 5.

Quomodo a priori seu per synthefin formentur definitiones?

Definitiones a priori seu per synthefin formantur, si nempe definitionibus simplicioribus
ge-

generum v. g. determinationes novae differentiales specierum adjiciantur; veluti si definitioni genericae figurae, *quod sit spatium lineis clausum*, addas determinationes differentiales trianguli, ac spatium tribus lineis clausum concipias, definitionem trianguli a priori seu per synthefin formatam habes.

§. 6.

Quaenam observanda circa definitiones a priori seu per synthefin formandas?

Circa definitiones autem a priori formandas observandum est primo, ne voces mente caesae, quibusque nulla in mente notio responder, inter se jungantur; neque definitum nihilum sit inane & contradictorium, veluti sunt *Deus non existens, creatura infinita, figura biangularis rectilinea*; secundo ne, si definitum etiam cogitari queat, sitque absolute quidem possibile, illud ideo existere, vel in hoc mundo existere etiam solum posse credamus: & ita de illis seu ut existentibus, seu ut possibilibus in hoc mundo aliqua exinde adfirmemus aut negemus: veluti si de republica platonica, corporibus non gravibus in hoc mundo quis differat. Sed de his adcuratius in Metaphysica, Ontologia, scilicet & Cosmologia.

§. 7.

Quod in definitione quacunquē vera & legitima plures contineantur veritates.

In definitione quacunquē vera & legitima plures contineri veritates liquet: definitio enim notionem definiti determinatam debet exprimere.

Lib.

Lib. 1. Part. 2. Cap. 6. §§. 3. & 4.; in notione autem alicujus determinata praedicata seu determinationes ejusdem essentialia primarias omnes comprehendi oportet, *eod. Lib. Part. 1. cap. 4. § 13.*; praedicata porro essentialia primaria non essentialium modo secundariorum seu attributorum, sed possibilitatis etiam accidentalium seu modorum rationem in se continent ita, ut, cur & in-sint ea, & inesse ista possint, ex illis demum & possit & debeat intelligi *consul. Ontolog.*

§. 8.

Qua ratione veritates in definitionibus contentae eruantur?

Ut autem veritates in definitionibus contentae facilius feliciusque eruantur; modum, quo id fieri possit & debeat, docere conati sunt Auctores, atque non unam ad id regulam praescripserunt. Quae regulae, licet eas minime contemnendas esse putem, nescio, an eum tamen usum praestent, quem inde sibi promiserunt. Tironibus sufficere advertere 1mo, quod, cui convenit definitio, ei convenient etiam determinationes in definitione comprehensae tam omnes simul, quam singulae seorsim; & 2do cui non convenit definitio, illi nec determinationes in definitione comprehensae omnes saltem convenire possunt; quas regulas invertendo facile determinationibus quoque applicare quis poterit; atque hac ratione axiomata vel postulata etiam in definitione praesertim generica contenta facili negotio deprehendet, atque his porro mediantibus theoremata & problemata legitimam concludendi formam adhibendo poterit invenire.

§. 9.

§. 9.

*Regulae quaedam generaliores in meditando
observandae.*

Caeterum, qui meditando, sicut dictum est, veritates invenire cupit, rem, de qua meditari instituit, imo non una, sed repetitis vicibus & diversis etiam temporibus adtente consideret; & praesertim 2do quae momentis interdum felicioribus adfulgent, cognitiones non negligat, sed eas caute sibi adnotet; nec tandem 3tio nimium sibi met fidat, sed cogitata sua cum aliis porro communicet ac illorum quoque sensa requirat. Hac enim ratione non ab errandi modo periculis erit remotior, sed & ad veritates adhuc incognitas facile deducetur.

CAPUT IX.

DE REVELATIONE ET ALIORUM
TESTIMONIO.

§. I.

*Cur de revelatione & aliorum testimonio
hic agatur.*

Operam hucusque dedimus, quo ostenderemus, an & qua ratione vel ope sensuum ex ipso rerum intuitu, vel per rationem & ex notionibus rerum universalibus, quas super sensationibus reflectendo, abstrahendo, ex vel alio quocunque de-

demum modo ipsi nobis comparavimus, de veritate certo constare nobis possit & oporteat. At cum sensuum nostrorum sphaera satis angusta, ac rerum modo nobis praesentium, &, quae in rebus nobis praesentibus contingunt, mutationum cognitionem intuitivam habere datum sit; nec per rationem etiam ad distinctam rerum quarumcunque intelligentiam, sed earum modo, quae cum sensationibus aliquam qualemcunque habent connexionem, liceat ad surgere; oportet, ut, si e iis, quae aut extra sphaeram sensuum nostrorum constituta sunt, utpote cum vel aliquo ante nos tempore contigerint, vel etiam nunc in locis tamen a nobis remotioribus contingant, aut cum sensationibus minime connexa sunt, scire tamen aliquid velimus, aliorum quoad ista testimonio vel revelationi fidem habeamus. Quare, ne fidem cuilibet sine discrimine adhibendo, aut pro revelato quidlibet accipiendo saepius fallamur, ac in errores gravissimos proni dilabamur, necesse est, ut de revelatione nunc & aliorum testimonio pariter agamus.

§. 2.

Quisnam revelationis sit Auctor?

Per revelationem nobis innotescere debere, quae rationem humanam plane transcendunt, modo dictum est §. *praeced.*; unde revelationis Auctor esse nequit homo; sed nec alium, quam Deum ipsum revelationis Auctorem agnoscimus & reveremur; unde liquet imo, certum esse, quidquid revelatum esse constat: Deus enim utpote veracissimus falsum eloqui non potest; an autem & quomodo constare possit, esse aliquid revera revelatum,

latum, Theologis relinquimus discutiendum. 2do Non posse, quod revelato contradicit, ex ratione verum demonstrari: cum alias contradictoria simul forent vera.

§. 3.

Quaenam aliorum testimonio certo nobis possint innotescere?

Quaquam non de iis modo, quae sensu aliquo percipiuntur, veluti sunt res vere existentes, & quae in existentibus vel olim contigerunt, vel etiam nunc contingunt, mutationes, facta scilicet & singularia; sed de iis etiam, quae rationis usu cognoscuntur (rerum intellige essentias, relationes praesertim occultiores, & mutationum in hoc universo causas) & ita de veritatibus quoque universalibus testari queant homines; proprium tamen humani testimonii objectum illa modo, singularia scilicet & facta constituunt, nec nisi de illis aliorum testimonio certo constare potest, praesertim philosopho, utpote quem in quaestionibus ex ratione decidendis non auctoritate, sed rationibus & argumentis ex ratione desumptis niti decet.

§. 4.

Quare cognitiones, quas ex aliorum testimonio haurimus, symbolicae dicantur?

Symbolicam vocari cognitionem, qua aliquid non ipsum, sed ejus modo symbolum seu signum intuendo cognoscimus, jam alibi innuimus; unde, licet in aliis praesertim universalibus rerum cognitioni-

tionibus, utut ex rerum intuitu primum adquisitis, ad eas magis ordinandas distinguendasque signis veluti vocibus utamur; & ita cognitiones istae, cum intuitivae primum fuerint, symbolicae exinde evadant; cognitiones tamen, quas ex aliorum testimonio adquirimus, symbolicae proprie vocantur; utpote cum, quaecunque aliorum testimonio cognoscimus, per signa modo seu symbola nobis innotescant.

§. 5.

Generalia quaedam circa aliorum testimonium probe advertenda.

Ne tamen aliorum testimonio facile decipiamur, ac in errores quosque absurdissimos proni delabamur; quaedam circa illud probe advertenda sunt; ac imo quidem discernendum inter testes seu personas factum aliquod narrantes; 2do factum cum omnibus ejusdem adjunctis rite expendendum; ac 3tio demum modus ipse narrandi, qui stilus alias vocari solet, bene distinguendus est.

§. 6.

Testium distinctio.

Distinguuntur vero testes imo ratione intellectus; quo respectu alii quidem docti sunt & eruditi, alii vero rudes & plebeji; 2do ratione voluntatis; cujus intuitu vel probi sunt & veritatis studiosi, vel improbi & veritatis inimici tales saltem, qui eam propriis commodis postponere non erubescant; 3tio ratione temporis testes vel sunt coaevi, aut quasi coaevi, vel facti juniores. Testes

U

coaevi

coaevi vocantur, qui eo tempore vixerunt, quo factum, quod narratur, contigit. Testes quasi coaevi dicuntur, qui cum illis adhuc conversati sunt, quorum aetate illud, quod refertur, accidit, ut illis id narrantibus discere potuerint, imo vero didicerint. Quoad testes facti juniores advertendum, num facti sint multo, an paulo juniores. 4to demum distinguuntur testes ratione modi, quo factum ipsi primum cognoverunt: Testes namque vel intuitivam ipsi illius, quod narrant, cognitionem habuerunt; vel illud contigisse ex aliorum modo narratione didicerunt. Oculati priores, posteriores auriti vocibus, ut liquet, barbaris dicuntur.

§. 7.

De partium studio.

In teste tandem nihil aequae sollicitudinis considerandum occurrit, quam utrum partium studio forte non teneatur; quod vitium, quam alienum a testium conditione, tam familiare est testibus. Dicitur autem testis partium studio teneri, quodsi eorum, quorum res gestas narrat, amore inordinato vel odio abripi se pariat; quo fiet, ut mox in favorem istorum, mox in illorum odium aut vera reticeat, aut falsa confingat.

§. 8.

An & quomodo constare possit & debeat, qualis sit testis?

Ut testis coaevus aut quasi coaevus a teste quovis juniore discernatur, in tempus tam facti quam testis

testis diligenter inquirendum est; quo comperto patebit, num testis ea aetate vixerit, qua factum contigit, an vero sit facti ipse posterior. Num testis (ut cum scholis, quamvis barbare, loquar) oculus sit, an vero auritus, ex ipso ejus testimonio potissimum colligi debet. Testis peritia probitasque, item quod a partium sit studio immunis, vel ex aliis ejusdem scriptis, factisque, vitae genere &c., vel aliorum testimonio constare queunt; licet, qui nullam adhuc factorum notitiam aliunde jam habet, inter ea haud facile discernet.

§. 9.

*Quaenam ratione facti, ejusque adjunctorum
adattendenda sint?*

Ratione facti, quod narratur, advertendum est, ne vel ipsum factum, vel in ejus adjunctis aliquid repugnans sit & impossibile; ubi distinguendum tamen erit inter diversas impossibilitatis species, metaphysicam scilicet seu absolutam, & hypotheticam, physicam nempe & moralem. Porro, ubi de facti possibilitate jam constat, dispiciendum adhuc erit, ne illud sit insolitum seu tale, quale juxta consuetum rerum in hoc universo cursum rarius aut fere nunquam contingat; quod iterum patebit, factum, omniaque ejus adjuncta accuratius expendendo.

§. 10.

Adattendenda ratione stili.

Modum, quo factum aliquod narratur, stilum dici, jam supra meminimus. Stilius autem

triplex communiter distinguitur, oratorius scilicet, poëticus & narratorius seu simplex. Inter istilum caute discernendum esse, ex infra dicendis magis patebit.

§. II.

Quod aliorum testimonio de veritate factorum aliquando certo nobis constet.

Quae aliorum testimonio cognoscimus, adeo non nunquam certa nobis sunt, ut de eorum veritate ambigere haud quaquam valeamus. Sic extitisse aliquando Ciceronem, esseque illum librorum, qui ejus adhuc nomen prae se ferunt, auctorem: Hierosolymam a Romanis, quemadmodum id Dominus ac Redemptor noster praedixerat, expugnatam ac penitus eversam esse: sub Nerone aliisque Romanorum Imperatoribus Christianos variis exquisitisque tormentorum generibus excruciatos esse, multosque eorum pro Jesu Christi fide sanguinem vitamque dedisse: haec, inquam, aliaque quam plurima solo aliorum testimonio nobis plane certa sunt.

§. 12.

Quid requiratur, ut aliorum testimonio de veritate certo nobis constet?

Ut tamen de veritate factorum testimonio aliorum certi evadamus, minime sufficit, ut factum ab uno solum alterove referatur; sed omnino requiritur, ut factum illud eodem plane modo & cum eisdem adjunctis plures, omnes coevi aut saltem quasi coevi, ac diversae insuper indolis, conditionis, sectae, Religionis &c. adtestentur.

§. 13.

*Undenam ista de factorum veritate certitudo
ex aliorum testimonio habeatur?*

Certitudo autem, quam de factorum veritate ex aliorum testimonio habemus, principiis frequentibus potissimum innititur: Non possunt plures in facto aliquo conficto falsoque, & in ejus praecipue adjunctis falsis pariter & confictis facile convenire, nisi inter se conspiraverint; praesumi nequit, plures diversae indolis, conditionis &c., de falso adtestando inter se conspirasse, praesertim, si aliquorum ultra intersit, illud haud ita contigisse. Porro omnis homo naturaliter inclinatur ad dicendum verum, raroque nisi propriis commodis seductus falsum quis eloquitur. &c.

§. 14.

*Quod aliorum testimonia de veritate factorum fidem plerumque solum probabilem
faciant.*

Verum rariora tamen sunt testimonia, quae cum principiis modo dictis omnino cohaereant, adeoque de veritate certos nos reddant. Caeteroquin autem vel unius etiam alteriusve testimonium fidem jam aliquam de veritate facti, nunc quidem minus, nunc magis probabilem facit, pro diversitate scilicet & testium, & facti, & ipsius tandem stili.

§. 15.

Cur nullae adhuc regulae hujuscemodi probabilitatis statuuntur?

Ex dictis difficile haud foret, generales hujuscemodi probabilitatis (historicam vocant) regulas statuere; quo tamen ordinatius id fiat; de probabilitate prius universim, ejusque gradibus agendum esse duximus; unde sit

CAPUT X.

DE PROBABILITATE UNIVERSE EJUSQUE GRADIBUS, DE SUSPICIONE ITIDEM, OPINIONE ET DUBIO.

§. 1.

Quam sit necesse, hanc de probabilitate materiam accurate pertractari?

Inter alia a Logico rite pertractanda probabilitas jure recensetur; etenim, quam pauca sint, in quibus certitudinem, non dico, absolutam, sed aliquam modo habeamus, nemo rerum gnarus ignorat; unde in plurimis sola probabilitate contentos nos esse decet.

§. 2.

Quod ista tamen materia plerumque minus apte pertractata sit.

Interim negari tamen haud potest, istud de probabilitate argumentum plerumque minus apte
ex-

expositum fuisse; quod vel ipsae probabilitatis definitiones plerumque satis ineptae produnt, quemadmodum id coram ostenderetur.

§. 3.

Probabile quid? quid probabilitas?

Si usum loquendi spectemus, probabile nobis aliquid dici intelligemus, si quando ad adfensum alicui praestandum mens nostra propendeat, quin de ejus adhuc veritate plane nobis constet; ut ita intelligas, probabilitatem esse mentis nostrae propensionem ad adfensum alicui praestandum, de cujus tamen veritate nondum certo nobis constat.

§. 4.

Divisio probabilitatis in ob- & subjectivam.

Est autem, quam modo exposuimus, probabilitas, ut vocant, subjectiva; a qua discernunt objectivam, quam esse ajunt momenta seu rationes, quae mentem ad adfensum hunc propendere faciunt. A probabilitate subjectiva suspicio haud multum differt, quae in prudentem seu cum ratione conjunctam, & temerariam seu ratione destitutam dividi solet. Probabilitas subjectiva omni ratione destituta mere subjectiva dici consuevit, eaque hoc nomine minus apte insignitur, nec ejus impofterum a nobis fiet mentio.

§. 5.

Quod omnis probabilitas sit relativa.

Probabilitas igitur, sive ob- sive subjective eandem consideres, momenta semper aliqua, &

quandam ejusmodi momentorum cognitionem involvit. Unde patet, probabilitatem omnem esse relativam, relate scilicet ad mentem cognoscentis. Porro cum omne verum objective certum sit, *hoc Lib. cap. 4. §. 1.* falsum autem objective, si vocem hanc strictè accipias, probabile esse non possit; manifestum est, probabilitatem etiam objectivam esse vere relativam.

§. 6.

Probabilitas semper aliquem in cognitione defectum esse denotat.

Probabilitas porro, quod ex dictis fuit, semper aliquem in cognitione defectum esse denotat: etenim, ut verum objective semper certum est, ita etiam subjective certum est distinctè illud intelligenti & a falso satis discernenti; sic ratione Dei veritatem omnem distinctè perspicientis nihil est probabile, sed omnia certa sunt; nobis autem, utpote qui a perfectà veri cognitione multum adhuc deficiamus, pleraque sunt solum probabilia.

§. 7.

Quod probabile est, potest esse falsum.

Quandoquidem vero, quod jam supra probatum dedimus, probabilitas relativa sit, relate scilicet ad mentem cognoscentis, & quatenus aliquis quasdam pro veritate alicujus rationes aut momenta cognoscens ad præstandum ei adsensum mente propenderit; possit autem fieri, fiatque, ut ejusmodi momenta adesse nobis videantur, quando re ipsa talia non adsunt, quemadmodum experi-

ri-

rientia docemur; in aprico est, quod illud, quod probabile est, possit esse falsum.

§. 8.

Opinio quid? quod opiniones possint esse falsae.

Si cui, quod nobis solum est probabile, ad sensum praebeamus, ejusmodi ad sensus opinio vocatur: interdum etiam imo communiter id ipsum, cui ceu probabili re ipsa adsentimur, opinionis nomine notatur. In quocunque autem ex duplici hoc sensu opinionem acceperis, opiniones falsas esse posse, ex dictis §. praeced. argumento valido concluditur.

§. 9.

Probabilitas admittit gradus.

Ex iis, quae de probabilitate hactenus deducta sunt, & istud porro liquet, quod probabilitas gradus admittat, & quidem non in eo solum, quod unum altero, sed & unum idemque uni quam alteri, imo eidem etiam per intervalla tamen & successu temporis possit esse probabilius. Probabilitatis autem tres communiter distinguuntur gradus, infimus scilicet medius & summus, qui ultimus cernitudini aequiparatur, nec citra temeritatis notam eidem licet refragari.

§. 10.

De collisione probabilitatis. Quid dubium? duplex distinguitur positivum scilicet & negativum.

Contingere potest, imo saepius contingit, ut pro aliquo & ejus simul opposito momenta habe-

antur. Quod si fiat, probabilitates inter se collidantur; & quidem probabilitas major semper elidit minorem, ita ut probabile quid esse desinat, quam primum ejus oppositum probabilius evadit, quod adeo verum est, quam quod verissimum: quod si enim, quoties pro oppositis momenta seu rationes omnino aequales habentur, neutrum vere sit probabile; utpote cum mens in tali casu ad adsensum uni prae altero praestandum jure non propendat, sed vere relinquatur in dubio, puta, positivo (dubium namque negativum esse ajunt, quando nec pro aliquo, nec pro ejus etiam opposito momenta adsunt, quae cognoscantur) qua, quaeso! ratione probabile quis esse adfirmabit, cujus oppositum reipsa probabilius est.

§. II.

In collisione probabilitatis adsentiri non possumus nisi probabiliori.

Quamquam ad adsentiendum ei, quod nobis forte trahamur, quemadmodum contingit, si de veritate plane nobis constet: probabilitas enim errandi periculum nondum omnino excludit: unde fit, ut, siquando probabilibus adsensum praebeamus (plenum nunquam praebere deberemus *hoc lib. cap. 6. §§. 8. seqtibus, & passim alibi*) non sine formidine id faciamus; non possumus tamen, quoties probabilitates inter se colliduntur, adsentiri nisi probabiliori; quod quam verum sit, patebit, si modo propriam experientiam quis consulat; quare argumentis illud tueri hic superfedemus, unicum id adhuc adfirmantes, hanc scilicet esse legem adsensus,

sus, ut sicuti vero solum, minime autem falso, puta, re ipsa cognito, sic in collisione probabilitatis, probabiliori modo, minime autem minus probabilis adsentiri valeamus: parem enim utriusque rationem esse, coram ostendetur.

§. 12.

Ad quid scire haec conducatur?

Adcuratius autem exponenda haec esse, nobis visum est: eo quod argumentum quoddam plane solidum praebent ad refutandam quorundam scholasticorum sententiam longe absurdissimam, adferentium, quod in moralibus in conflictu, ut ajunt, sententiae probabilis cum probabiliore minus probabilem relicta probabiliore sequi liceat, quodque, qui eam sequitur, in conscientia sit tutus: quod si enim ex dictis §. praec. nequidem adsentiri ejusmodi sententiae valeamus; quae, quae-so! raione dicitur, quod in rebus gravissimis, & a quibus aeterna salus nostra dependet, sequi eam liceat. Accedit, quod homines isti sententiam probabilem esse adseverent, quam vel duo, imo vel unus etiam doctor, ut ajunt, gravis adprobat.

§. 13.

Probabilitatis species; intrinseca & extrinseca &c.

Momenta autem seu rationes, quae ad adsensum mentem propendere faciunt, vel in re ipsa vel extra eam deprehenduntur, inde habentur species probabilitatis, intrinseca scilicet & extrinseca. Intrinseca in theoreticam rursus, physicam, practi-

eticam & hermeneuticam subdividitur; quam posteriorem, puta, hermeneuticam ad extrinsecam tamen, quae historica vocari solet, referemus.

§. 14.

Divisio probabilitatis in directam & indirectam.

Probabilitas porro in directam & indirectam subdividitur. Directa dicitur, si pro ipsa alicujus veritate momenta habeantur; quodsi autem pro falsitate solum oppositi ejusmodi momenta adsint & cognoscantur, indirecta vocatur probabilitas.

§. 15.

Regula generalis pro determinando probabilitatis gradu.

Ex his pro determinando probabilitatis gradu regulam hanc generalem (speciales enim suo quaevis loco exponentur) deducimus: eo aliquid probabilius est & probabilitate quidem directa, quo plura habeantur pro ejus veritate momenta, & quo haec ipsa momenta plenius ab aliquo perspicuntur, indirecta autem, si pro falsitate solum oppositi ejusmodi momenta habeantur, cognoscanturque.



CAPUT XI.

DE PROBABILITATE IN SPECIE, ET
QUIDEM THEORETICA PRIMUM,
PHYSICA ET MORALI SEU
PRACTICA.

§. I.

Argumentum seu scopus hujus & sequentis capituli.

Non equidem, quod ex dictis cap. praeced. constat, adsentiri nos possumus, nisi veritati aut certo aut probabiliter saltem cognitae, & in collisione quidem probabilitatis solum probabiliori; lex haec adensus est in ipsa natura animae fundata; at fieri tamen potest & fit saepius, ut probabile nobis videatur, vel, si vis, subjective sit probabile, quod vere seu objective probabile non est; eodem quoque modo circa gradum probabilitatis non raro decipimur ita, ut, quod minus est probabile, probabilius nobis esse videatur. Quare opus est regulis, quibus in dignoscenda probabilitate, ejusque gradu rite aestimando dirigamur: ejusmodi quidem regulam jam supra cap. praeced. §. ult. assignavimus; sed nimis illa generalis est, quam ut in casibus quibusvis occurrentibus possit sufficere; unde necessum est alias dari speciales; atque hoc ipsum est, ejusmodi scilicet regulas statuere, quod in hoc exsequenti capite praestare nobis est propositum; in hoc quidem pro probabilitate primum theoretica, physica & morali; pro

hilo-

historica autem simul & hermeneutica in sequente.

§. 2.

Quo ordine hic procedere nobis constitutum sit?

Quandoquidem vero regulas has speciales pro diversitate probabilitatis, & momentorum praecipue cuique probabilitatis speciei propriorum diversas esse oportet; quamlibet praeprimis probabilitatis speciem seorsim, ejus objectum, quo termino scholastico denotatur id, circa quod aliquid versatur, ac momenta eidem propria dilucide exponere studebimus; & regulas exinde speciales cuique proprias subjiciemus.

§. 3.

Probabilitatis character, momenta probabilitatis in genere.

Ad scopum autem hunc nostrum feliciter adsequendum supervacaneum non erit, ipsum prius characterem generalem probabilitatis nosse, qui utique alius non est, quam ipsius veritatis in genere, convenientia scilicet, sed non omnimoda, aut non plane cognita; probabili enim non nisi sub ratione veri, sed veri nondum omnino & evidenter cogniti adfentimur; quae convenientia, quatenus ab aliquo cognoscitur, momentum est probabilitatis: sed momenta tamen ista adhuc diversa sunt pro diversitate potissimum eorum, inter quae talis datur convenientia; quemadmodum constabit ex mox dicendis.

§. 4.

§. 4.

De probabilitate theoretica, ejusque objecto.

Probabilitatem theoreticam vocamus illam, quae circa universalia, notiones scilicet seu earum potius nexum occupatur; unde & notionalem alibi eandem adpellavimus; & si quem forte utraque haec denominatio offendar, vocet illam, per melicer, quamcunque libuerit, nos ita vocamus, quin tamen cum aliquo tritari propterea velimus. Probabilitas igitur theoretica, quam nos ita nominamus, pro objecto habet notiones generales seu earum potius nexum.

§. 5.

Regulae pro determinando gradu probabilitatis theoreticae.

Unde pro determinando gradu probabilitatis theoreticae ceu regulae speciales fluunt corollaria sequentia:

- I. Eo aliquid probabilius est & probabilitate quidem directâ, quo notiones magis inter se aut cum aliis etiam veris conveniunt, & quo haec ipsa notionum convenientia melius ab aliquo perspicitur. Ubi adverte, quod, si notionum nexus ex earum cum aliis veris convenientia intelligatur, vel illa non omnino certa & evidenteria, vel earum saltem cum illis convenientiam non omnino certam & evidentem esse, oporteat; alias non probabilitas, sed certitudo habebitur. *vid. hoc lib. cap. 4. & 5.*

II. Probabilitate autem indirecta, quo notiones oppositi magis vel inter se, vel cum aliis veritatibus pugnareprehenduntur. Sic immortalitas animae humanae ex pugna oppositi, quod sit mortalis, cum veritatibus plane evidentibus (siehe Moses Mendelssohn Phaedon verbesserte Auflage zweites Gespräch Seite 125.) indirecte quidem probatur ita, ut ad summum probabilitatis gradum, cui, sicut dictum est, citra temeritatis notam refragari non licet, evehatur; si tamen, evidenter illam hoc argumento demonstrari, dicere nolueris.

§. 6.

De probabilitate physica ejusque objecto.

Probabilitas, quam physicam adpellamus, circa res hujus universi praesertim materiales & sensibiles, earum scilicet naturas, proprietates, relationes, eam praecipue, qua una ceu causa saltem occasionalis rationem existentiae alterius, seu mutationis etiam in ea factae continet: physicam nominamus, quia nititur experientiis; ex quarum etiam convenientia ejus gradus debet aestimari.

§. 7.

Hypothesis quid?

Quandoquidem vero ad cognitionem eorum, quae modo §. praeced. commemorata sunt, & circa quae physica versatur probabilitas, non ita facile perveniatur; pro veris interim admitti quaedam solent, ut cum experientiis exinde comparentur; quod si fiat, hypothesis fieri dicitur; ut ita intelligas, hypothesin esse positionem seu adsumtio-

tionem alicujus pro vero, de cujus tamen veritate minime adhuc conitat.

§. 8.

Quid de hypothesebus sit sentiendum?

Sunt, qui in hypotheses quascunque acriter invehuntur, quique ex philosophia eas plane eliminandas esse adleverant; verum non satis isti perpendere mihi videntur, quam hypotheses non modo utiles, utpote cum occasionem saltem praebeant veritati melius & diligentius investigandae, ejusque citius inveniendae aliquod sint medium, sed & in physicis praesertim saepe sint necessariae.

§. 9.

Notanda circa hypotheses.

Hypotheses igitur non sustineri modo possunt, sed & laudandae sunt; cavendum tamen, ne pro hypothesis insana delirantis cerebri figmenta obrudantur; quod ne fiat, non praesumat aliquis ponere hypothesis, ubi sufficientem nondum phaenomenorum seu eorum omnium, ad quae explicanda hypothesis illa adhibetur, cognitionem habet.

§. 10.

Regulae pro determinando gradu probabilitatis physicae & speciatim hypothesisum.

Quo tandem gradus probabilitatis physicae & speciatim hypothesisum distinctius intelligatur, & aestimetur melius, sequentia ceu totidem

regulas pro determinando gradu probabilitatis physicae seu hypotheseum advertere expediet.

- I. Quo magis hypothesis aliqua cum experientiis convenit, id est, quo plura in ea phaenomena, quove in ea brevius faciliusque explicantur, eo probabilior est hypothesis
- II. Siquando in aliqua hypothesi omnia omnino phaenomena apte explicantur; hypothesis summe probabilis & physice certa est, & loco principii exinde potest adhiberi; sicuti contra
- III. Sicuti hypothesi vel unica etiam experientia seu phaenomenum certum manifeste repugnat, hypothesis absurda est, & hoc nomine indigna.

§. 11.

Qua ratione formandae sint hypotheses?

Hypothesin formare ex dictis aliud non est, quam ex sensationibus seu per experientiam ad rerum naturas, proprietates, ex mutationibus ad causas istarum mutationum, modumque, quo producuntur, probabiliter concludere. Quare ad hypotheses rite formandas conducent, imo plane sufficient, quae supra, *capite 7.* de methodo experiendi dicta sunt; eaque hic repetere superfluum foret.

§. 12.

Probabilitas practica quid & quotuplex? quid conjectura?

Probabilitas practica seu moralis dupliciter considerari potest; imo quatenus ex personae cujusdam

dam actionibus exterioribus ad internam animi indolem concluditur; qualis ratiocinandi modus conjectura vocatur. 2do quando ex concursu causarum, sive moralium, sive physicarum aut naturalium, actiones vel eventus adhuc futuri praesagiuntur; Prognosis ista divinatio rationalis dici solet, & non nisi sedula praeteritorum meditatione, & adtenta praesentium contemplatione comparatur.

§. 13.

Divinatio rationalis cum naturali aut superstitiosa minime confundenda est.

Differt autem divinatio isthaec rationalis ac probe discernenda est, 1o a divinatione naturali, quam esse ajunt praesensionem futuri ex quadam animi concitatione fluentem, qualemque dormientibus, moribundis, & hominibus vivaciori phantasia praeditis nonnunquam contingere, vel sola satis probat experientia; 2o a superstitiosa, quae ex signis aut plane nugatoriis aut saltem insufficientibus futura praecognoscere, ac certo praedicere ausu temerario praesumit. Hanc olim inter gentiles viguisse, adeo mirandum non est; quod vero inter Christianos adhuc hodie locum obtineat, & multorum superstitiosorum animos occupet, detestari satis non possumus.

§. 14.

Quod probabilitatis practicae insignis in omni vita humana sit usus; quod cautiones tamen circa illam adhibendae sint.

Caeterum praeclara sunt commoda, & usus plane insignis est, quem duplex illud ratiocinan-

di genus, probabilitas, inquam, practica cuique ea bene utenti per omnem vitam praestat; est enim prudentiae fundamentum, qua nihil homini ad vitam beate ducendam utilius, ne dicam, magis necessarium est: sed nec error etiam in alio quocunque ratiocinandi genere magis periculosus est & noxius, quam sit in eo; cautionibus igitur, si alibi, hic maxime opus est; earum aliquas hic indicabimus. 10 Cave! omnimodam & absolutam in alterutro hoc argumento certitudinem quaeras. 20 Cave! ex una statimque alterave hominis actione ad ejus indolem concludas: nisi tamen actio sit talis, ut eam manifeste prodar. 30 Cave! tibi persuadeas, animi indolem haud unquam mutari. Plura addentur in Praelectionibus, ubi exemplis etiam hic dicta illustrabuntur.

CAPUT XII.

DE PROBABILITATE HISTORICA; DE ARTE ITIDEM ET PROBABILITATE HERMENEUTICA.

§. I.

Probabilitas historica quid? quodnam ejus sit objectum?

Probabilitas historica est, qua ad alicujus veritatem ab aliorum testimonio concluditur. Proprium itaque probabilitatis historicae objectum singularia seu facta constituunt, & facta quidem, quo-

quorum intuitivam ipsi cognitionem non habemus: etenim quod universalia, quaestiones scilicet de rerum natura, proprietatibus, relationibus & causis adtinet, ex ratione tales decidendae sunt, nec aliorum quoad istas testimonia valere plus possunt, quam valent rationes, quae ab eis adducuntur. Ejusmodi autem rationes, etiamsi forte adductae non sint, adesse aliquando quidem merito praesumitur; veluti si viri graves, nihil alias sine ratione sufficiente adserere soliti quidquam adseverent; hac tamen praesumptione contentum esse philosophum haud decet, nec argumentis ab auctoritate petitis in quaestionibus ad rationem pertinentibus, nisi contra stupidos forte & tardioris ingenii homines, qui tertium numero, quam rationum pondere malint convinci, Philosophus facile utatur. Facta porro, quorum intuitivam ipsi cognitionem habemus, ex aliorum testimonio a nobis primum addisci, necesse non est.

§. 2.

Quid ars, quid probabilitas itidem hermeneutica? Interpres quis dicatur?

Ad probabilitatem historicam omnino & ante omnia requiritur, ut quis sensum verborum, quibus testimonium profertur, plane adsequatur: fecus enim nequidem scire poterit, quid sit, quod factum esse perhibetur; hoc autem cum saepe difficile, & sensus verborum non raro valde sit obscurus; opus est regulis seu modo, quo in verum hunc verborum sensum inquiretur, qui modus juxta regulas in verum verborum sensum inquirendi, eumque probabiliter inveniendi *Ars*, ipsa

autem cognitio saltem probabilis istius sensus *Probabilitas* hermeneutica vocatur. Interpres tandem dicitur, qui in verum verborum sensum juxta regulas inquit, eumque probabiliter saltem detegit:

§. 3.

Fundamentum probabilitatis hermeneuticae.

Probabilitas hermeneutica ceu fundamento nititur potissimum sequentibus: jure praesumitur 1º verbis ab aliquo quocunque adhibitis semper aliquem, & eum quidem sensum omnino adtribui, qui cum genio, moribus & usu loquendi tum temporis, quo scriptum consignatum est, cum ipsius etiam Scriptoris maxime convenit. Praesumendum est porro 2º, neminem sibi ipse velle contradicere, aut aliquid proferre, quod sit absurdum, quod scopo scilicet, quem sibi proposuit, repugnet, &c.

§. 4.

Regulae pro determinando gradu probabilitatis hermeneuticae.

Inde pro determinando gradu probabilitatis hermeneuticae fluunt regulae sequentes: eo probabilius est, hunc vel illum esse verum verborum sensum, quo sensus ille 1º cum genio, moribus & usu loquendi tum temporis, cum ipsius etiam Scriptoris, 2º cum fine seu scopo scribentis, item 3º cum caeteris ejusdem scriptis &c. magis convenit; sicuti contra, si cui ex dictis minus conveniat, improbabilius, & si plane repugnet, falsus erit; nisi tamen

tamen verum esse, aliunde & per momenta forte extrinseca probetur.

§. 5.

Dotes in Interprete requisitae.

Ex his porro manifestum est, plures in Interprete dotes requiri, earumque potiores saltem esse sequentes, 1o ut genium linguae, qua Scriptor usus est, mores etiam & usum loquendi tam temporis, quo scriptum consignatum est, quam Scriptoris habeat perspecta; 2o ut finem scopumque scribentis probe internoscat; 3o ut caetera ejus scripta habeat comperta, 4o ut eorum quoque, ad quae scriptum pertinet, sufficiente polleat cognitione, ac 5o tandem, ut veritatis simul & aequitatis omnino sit studiosus.

§. 6.

Cur hic omittantur regulae, quae ab aliis addi adhuc solent?

Non equidem ignoramus, alias adhuc complures ab aliis regulas hic addi; quas studio hic praetermittimus, aut quod in aliis jam positis continentur, aut quod ad alias plane scientias, veluti Theologiam, aut Jurisprudentiam, minime vero ad Logicam pertineant; in ipsis tamen praelectionibus quarundam adhuc fieri mentio, ubi modus pariter regulas has rite adplicandi tyronibus explanabitur.

§. 7.

Speciale artis hermeneuticae adjumentum petitur ex antecedentibus.

Caeterum ceu speciale artis hermeneuticae adjumentum considerari debent, quae de vocibus supra *Lib. 1. Part. 2.* de propositionibus itidem, *L. 2. Part. 2.* a nobis disputata sunt, quaeque hic repetere supervacuum foret.

§. 8.

Probabilitas historica unde aestimanda?

Cognito jam vero verborum sensu necessum est porro, ut 10 inter testes rite discernatur; 20 factum, omniaque ejus adjuncta adcurate expendantur; 30 stilus attendatur: etenim ex tribus hisce probabilitas historica ejusque gradus aestimandus est.

§. 9.

Quid ad probabilitatem historicam stilus conferat?

Stilum triplicem distingui, oratorium scilicet, poeticum & simplicem jam supra *Cap. 9. § 10.* memoratum fuit; jam vero ex triplici hoc stilo simplex, qui narratorius etiam seu historicus vocatur, in factorum narratione jure praefertur, ita, ut factum, quod historice, seu stilo simplici narratur, plus sinei quoad singula praesertim adjuncta mereatur, quam si poetice aut oratorie perhibearur: Stilus namque poeticus. fictiones amat, ornatum quae-

quaerit oratorius, nudam sine fūco, sine ornatu
exquisito veritatem simplex exprimit.

§. 10.

*Quid intersit factum ejusque adjuncta adcurate
expendi?*

Factum porro, ejusque adjuncta adcurate ex-
pendenda sunt, ut ita intelligatur, an factum
in se jam & intrinsece probabile, an vero insolitum
sit & improbabile, aut plane impossibile: factum
enim in se jam & intrinsece probabile accedente vel
unius etiam testimonio admodum probabile eva-
dit; cum factum contra insolitum & improbabile,
ut aliquam habeat probabilitatem, aut plures, aut
testis saltem omni exceptione major perhibere de-
beat. Quod impossibile est, etsi plures forte id
factum esse adtestentur, nunquam probabile esse
potest.

§. 11.

Regulae ratione testium observande.

Regulae tandem ratione testium observandae po-
tiores saltem sunt sequentes:

- I. Probabilius est testimonium viri prudentis, &
judicandi dexteritate pollentis, quam hominis
plebeji & rudis; nisi factum forte sit ejusmodi,
ut ad illud rite observandum solertia plane opus
non sit, sed solos sine arto sensus adhibere suffi-
ciat; quo in casu testimonium hominis indocti
minusque sagacis testimonio prudentis simulque
callidioris jure praeferrī nonnunquam poterit,

praesertim si cum facto conjunctae sint sequelae minus commodae.

- II. Testi, quem partium studio occupatum esse constat, nullam habendam esse fidem, ratio dicitur, sicut nec illi fides habenda est, quem in falso aliquandoprehendimus.
- III. Auctoritas testis, ut ajunt, oculati, seu qui intuitivam ipse facti cognitionem habuit, prior est testis auriti, seu qui aliquid contigisse ex aliorum narratione seu testimonio didicit; imo testis, ut ita dicam, auritus auctoritatem ex se nullam, atque ita majorem non habet, quam habet ille, quo narrante factum ipse primum didicit.
- IV. Probabilius est factum, quod perhibet testis coevus aut quasi coevus, quam quod alius facto multo posterior refert.
- V. Advertendum est denique, num testimonium publicae statim lucis sit factum; an vero inter privatos parietes concinnatum: major namque publico, quam privato testimonio fides communiter nec immerito tribui solet. Ex his porro alias probabilitatis historicae regulas legesque statuere difficile non est, quarum declarationem praelectionibus reservamus.

§. 12.

Resolvitur quaestio notatu digna.

Solet, si quando testes juniores facti mentionem faciant, quod silentio praetereunt antiquiores, istud anteriorum silentium pro argumento falsitatis vel improbabilitatis saltem adduci; sed jure quae-

quaeritur: an & in quantum ex ejusmodi silentio
 ceu argumento negativo aliquid revera proberur?
 ad quam quaestionem respondemus, quod, si
 factum memoratu dignum sit, nec ullus coevo-
 rum ejus mentionem faciat, factum hoc ipso red-
 datur improbable, nec posteriorum testimonio
 probabile evadat; non enim facile praesumendum
 est, quod homines rem notatu dignam sui tempo-
 ris plane neglexerint, nisi forte praegnans quae-
 dam hujuscemodi silentii causa doceri queat; veluti
 si magna inde incommoda Scriptori fuissent perti-
 nescenda. Validius tamen argumentum istud ne-
 gativum censetur, si ne privati etiam historici
 de re illa aliquid meminerint: in privatis namque
 testimoniis pro lege observari consuevit: ne quid
 veri non audeant; cum in publicis contra tenenda
 lex sit; ne quid falsi audeant commemorare.

C A P U T XIII.

ARTIS CRITICAE ELEMENTA.

§. I.

Ars critica quid?

Ars critica latius nonnunquam accipitur ita, ut
 hoc nomine ars de veritate tum certa, cum
 probabili rite dijudicandi significetur; verum cum
 aliis ejus significationem hic paulo restringimus;
 nec aliud ejus nomine intelligi volumus, quam
 artem de Scriptorum operibus judicandi, verosque
 ac genuinos Auctorum partus a spuris, subpositis
 scilicet, mutilatis, aut interpolatis discernendi.

§. 2.

§. 2.

Quod revera dentur opera spuria, subposita scilicet mutilata & interpolata.

Dari autem opera spuria, subposita scilicet, mutilata & interpolata, adeo notum est omnibus, ut ad illud probandum argumenta proferre actum foret agere: nonne enim jam primis Ecclesiae saeculis queruntur Patres, ab haereticis, ut auctoritatem somniis suis conciliarent, libros celeberrimis Ecclesiae Doctoribus, ipsisque adeo Apostolis subpositos, & sub illorum nominibus vulgatos fuisse: nosque jam supra in Prooemio Logicae probatum dedimus, libros Aristotelis mutilationibus, interpolationibus, ineptisque variorum commentariis & interpretationibus corruptos esse & vitiatos; sed nec unus modo liber Philosopho huic tribuitur, quem nullius tamen minus, quam ejus esse partum, constat.

§. 3.

Criticum in doctrina de probabilitate versatum esse decet.

Critica vero momenti nititur partim extrinsecis, aliorum scilicet testimoniis, partim intrinsicis, insufficientibus tamen & plerumque solum probabilibus; Criticum itaque in doctrina de probabilitate bene versatum, & modum praecipue illius gradum determinandi nosse, oportet.

§. 4.

Regulae Criticae.

Criticae igitur regulae legesque probabilitatis in praecedentibus expositae omnes ad commodari bene possunt, nec specialibus pro ea opus esse videtur: Attamen in gratiam tyronum notamus sequentes:

- I. Liber Auctoris esse censetur, cujus nomen nemine ex Scriptoribus coevis contra adicente praefertur.
- II. Si libro Auctoris nomen praefixum non sit, ejus esse censetur, cui eum tribuunt Scriptores ejus aetati propiores, nec juniorum hac in re testimonia adtendi merentur, nisi rationibus forte roborentur.
- III. Librum Auctori subpositum esse, suspicio est, 1o si demum longo post illum tempore in lucem prodierit, nec aliunde de contrario constat; 2o si a genio, moribus, vitae instituto, stilo &c. Auctoris, item ab usu loquendi illius aevi multum abhorreat.
- IV. Interpolatum esse librum, argumento est, si quid in exemplaribus posterioribus reperiatur, quod in prioribus non habeatur; praesertim si post mortem demum Auctoris ejusmodi exemplaria publicae lucis facta sint.
- V. Mutilatum tandem esse librum, jure praesumitur, si quae in exemplaribus posterioribus desiderantur, quae in codicibus vetustis leguntur, &c.

Quinam Auctores hac de re legi possint?

Regulas hic aliquas easque generaliores modo adsignavimus: si quis vero ipsa hujus non minus jucundae, quam utilis & necessariae artis penetralia ingredi cupiat; duces illi indicamus Clar. D. P. Mabillonium, & P. Heumannum de re diplomatica; Benedictinos item ex Congregatione S. Mauri, qui novum de rebus diplomaticis systema condiderunt, quod in idioma nostrum translaturum prodiit Erfurti 1759, Danielelem pariter Barinigi, qui clavem ad rem diplomaticam una cum bibliotheca Auctorum ea de re differentium exhibet.

CAPUT XIV. DE METHODO LEGENDI.

§. 1.

Lectionis utilitas necessitasque.

Quam parum in acquirenda rerum cognitione multiplici sibi met homo sufficiat, notum est omnibus; aliorum igitur subsidiis hoc in negotio longe gravissimo indiget; qualia in libris optimorum quorumvis Scriptorum suppeditantur, & ordinata eorundem lectione percipiuntur; quo patet, insignem esse lectionis bene ordinatae utilitatem necessitatemque.

§. 2.

Quod circa lectionem opus sit regulis.

Quam utile vero, imo quam aliquando necessarium est, hominem aliorum scripta librosque pervolvere, tam illud ei saepe perniciosum est, si praepostere scilicet & sine ordine fiat. Unde constat, opus esse regulis, quibus lectio dirigatur, ut rite & ordinate instituat.

§. 3.

Regula ima pro lectione observanda.

Multiplikes vero ad lectionem bene ordinandam regulae praescribuntur, quarum prima & principalis est, ut inter ipsos primum libros legendos rite discernatur.

§. 4.

Quotuplicis generis sint libri?

Libri autem tam ratione argumenti, quam ratione modi, quo argumentum illud in iis pertractatur, varie dividi possunt; ac primo quidem ratione argumenti, quod pertractant, vel dogmatici sunt, vel historici, utiles alii, alii perniciosi: quantum, utrum liber reipsa perniciosus sit, ex conditione & indole legentis aestimari plerumque debeat; possitque liber argumentum perutile tractans pro legentis indole & conditione inutilis, imo perniciosus esse. Ratione modi, quo argumentum pertractatur, libri vel systematici sunt & bene ordinati, vel confusi & inordinati &c.

§. 5.

Regula 2da pro lectione observanda.

Regula altera pro lectione observanda est, ut missis libris inutilibus & perniciosis legantur utiles. Unde fluit

§. 6.

Regula 3tia.

Tyrones & quicumque sufficienti inter libros satis discernendi facultate haud pollent, alios & viros quidem prudentes hac de re consulant, nec sine illorum consilio legere librum aliquem, de cujus utilitate haesitandi ratio est, praesumant.

§. 7.

Regula 4ta.

In ipsa porro lectione servandus est ordo; qui ordo in legendo observandus potissimum consistit in sequentibus: 1o ut librum, quem legendum quis adsumit, a capite legere incipiat, nihilque praetermittat; quod de praefatione etiam libro praefixa debet intelligi; 2o ut lecta etiam adrenda mente recogitentur; & 3o, quae notatu digniora videntur, scriptis adnotentur; 4o ne nimium una vice legatur; nec tamen 5o lectio etiam diu interrumpatur.

§. 8.

Regula 5ta

In lectione librorum dogmaticorum praeprimis conmittendum est, ut verus verborum sensus, ipsum scilicet dogma rite intelligatur; rationes exinde, quas pro dogmatis veritate Auctor adducit, bene ponderandae, & ad formam ordinariam argumentationum reducendae sunt. Porro non inutile, imo valde proficuum erit, jam ante lectionem de argumento seu dogmate legendo meditationem quandam instituire.

§. 9.


Regula 6ta.

In lectione autem librorum historicorum non facta modo memoriae mandentur; sed reflexione saepe adhibita in factorum causas, occasiones &c. inquiratur; qua demum ratione verus e lectione librorum historicorum fructus percipietur.

§. 10.

Quantum intersit sensa sua cum aliis communicare?

Ad veritatem denique facilius feliciterque invenendam, & ad evitandos complures in cogitando errores medium inter alia valde opportunum est, sua cum aliis sensa frequenter conferre, & eorum desuper arbitrium requirere: homo enim, utut sincero veritatis amore teneri sibi videatur, imo velut teneatur, non tamen multiplices philautiae il-



lusiones facile effugiet, ita ut, quae summum probabilia sunt, pro certis non habeat & indubitatis, aut pro veritatibus etiam figmenta non admittat, nisi cum aliis opiniones, sententiasque suas frequenter conferat, rationes etiam & momenta cum iis perpendat.





LIBRI IV. LOGICAE

PARS II.

DE IIS, QUAE AD VERITATEM CUM
ALIIS COMMUNICANDAM PER-
TINENT.

CAPUT I.

DE METHODO DOCENDI UNIVERSE.

§. I.

Docere alium quid sit?



Docere quemquam aliud non est, quam
efficere, ut is veritatum antea sibi in-
cognitarum notitiam distinctam ad-
quirat.

§. 2.

Methodus docendi quid sit?

Ut autem veritatum antea sibi incognitarum notitiam distinctam quis adquirat, omnino requiritur, ut veritates illae certo modo seu ordine & nexu proponantur; qui modus veritates eo ordine seu nexu proponendi, ut inde scientiam, seu distinctam veritatum antea incognitarum notitiam alius adquirat, methodus docendi est.

§. 3.

An § quomodo methodus docendi a methodo inveniendi differat?

Methodus docendi a methodo inveniendi communiter distinguitur; attamen re melius pensata facile intelligitur, non tantum esse inter utramque hanc methodum discrimen, quantum plerumque existimatur: veritatem namque saepius docere melius haud possumus, quam si modum, quo ad ejus primum cognitionem pervenerimus, distincte exponamus.

§. 4.

Methodi divisio.

Methodus in analyticam primum & syntheticam; scholasticam item, ramiticam, dialogisticam &c. dividitur *vid. hoc lib. Cap. praev.* Porro celebriora aevo hoc nostro facta sunt nomina methodi naturalis, scientificae, mathematicae &c. Hallucinetur tamen, qui diversis hisce vocibus res admodum diversas significari sibi persuaderet; quem admodum ex mox dicendis uberius patebit.

§. 5.

Methodi Dotes.

Methodi dotes praecipuae sunt tres sequentes, claritas scilicet seu perspicuitas, soliditas & brevitatis. Claritati consulitur stilo immuni ab omni ornatu superfluo, qui obscuritatem parere, animumque ad alia a re aliena posset distrahere; definitionibus itidem nominalibus. Soliditas obtinetur per principia certa & evidentia, & per legitimam ratiocinandi formam constanter & per omnia servatam. Brevitati studebitur citationibus, ubi opus est, utendo, nec eadem saepius & variis in locis repetendo.

§. 6.

Methodi leges.

Inde fluunt regulae seu leges methodi sequentes.

- I. Utendum non est nisi terminis claris & perspicuis, aut per definitiones saltem nominales accurate prius explicatis. In definiendo tamen servandus est modus, quem argumenti ratio & scopus intelligentem docebit.
- II. Nulla propositio principii loco adhibenda, quae omnino certa non sit & indubitata. Propositiones alibi jam demonstratae principiorum loco bene possunt adhiberi.
- III. Summopere studendum est definitionibus realibus, nec definitio principii loco est adsumenda prius, quam de illius realitate plane constet:

definitiones enim, de quarum realitate nondum constat, veritate summum ideali gaudent, nec quod inde demonstratur, evidens est nisi evidētia solum ideali & hypothetica, sub conditione scilicet, si definitum sit reale.

IV. Veritates omnes eo inter se ordine seu nexu disponendae sunt, ut eae semper praemittantur, ex quibus reliquae deduci debent ac demonstrari.

V. In ipsis porro demonstrationibus legitima ratiocinandi forma continuo servanda est.

VI. Quae alibi jam dicta sunt, si forte vel ad complendas demonstrationes, vel ad alium quemcunque finem requirantur, citationibus potius in memoriam revocanda sunt, quam quod saepius repetantur: citationes tamen adcuratas & fideles, non nimis frequentes & superfluas esse oportet.

§. 7.

In quam methodo hae leges observandae sint?

Leges autem a nobis haecenus propositae in omni quacunque methodo bene ordinata observandae sunt: methodi namque finis est scientia, seu distincta & evidens veritatum cognitio, qualis sine legibus his obtineri haud poterit.

§. 8.

Confirmatur, methodum quamcunque bene ordinatam a mathematica non differre.

Unde intelligitur, quam verum sit, quod supra §. 4. jam meminimus, methodum scilicet quamcunque bene ordinatam, sive naturalem illam, sive scientificam &c. eandem dixeris, a methodo, quam vocant, mathematica haud multum differre: methodus enim mathematica, si vel ipsos Mathematicorum libros scriptaque consulas, his ipsis legibus absolvitur: quanquam negari tamen non possit, in disciplinis mathematicis strictius plerumque & multo accuratius quam in aliis quibuscunque hanc methodum observari: cujus tamen quaenam causa sit, hic nolumus tricare.

§. 9.

Satisfit objectioni.

Sed erit fortasse, qui objiciat, methodum mathematicam hac ratione disciplinis omnibus fore communem. Verum quid inde sequitur absurdi? nihil sane meo quidem iudicio. Cave tamen: methodum mathematicam aestimandam esse putes ex praxi quorundam, qui res quasi innumeras, definitiones scilicet, axiomata, corollaria &c. prius adcumulant, quam thesis ulla adpareat inde demonstranda: methodi namque abusus est praxis ista, non ipsa methodus mathematica; quem methodi mathematicae abusum semper conquesti sunt, & adhuc queruntur viri cordati.

§. 10.

An per methodi leges hypotheses excludantur?

Hypotheses nonnunquam adeo vituperandas non esse, ut potius laudandae sint, alibi de *probabilitate scilicet physica* dictum fuit. Sed quaeritur, an a systematibus saltem per leges bonae methodi hypotheses non excludantur? & mihi quidem omnino persuasum est, hypotheses omnes e disciplinis etiam methodo scientifica pertractatis minime eliminandas esse: hypotheses namque, licet certa veritatis demonstrandae principia non sint, nec scientiam proinde veritatum, quae principalis, aut si velis, unicus est finis methodi, necdum conficiant; ad eam tamen haud modicum saepe conducunt. Et certe! quam steriles & mancae forent pleraeque disciplinae, si non nisi veritatibus certis & evidentibus locus in eis permitteretur: Hypotheses tamen, & quidquid ex eis inferitur, a veritatibus certis & conclusionibus inde deductis bene discernendae, nec cum eis confundendae sunt.

§. 11.

Quam inaniter contra methodum ejusque leges haecenus expositas varia objiciantur?

Caeterum contra methodum ejusque leges haecenus expositas varia objiciuntur: veluti quod formam syllogisticam excludat; quod hominum naturae, & Tyronum praesertim captui minus accommodata, quodque ipsi adeo religioni revelatae sit infesta &c. Verum criminationes tamen istae omnes

omnes sunt ejusmodi, ut vel per ipsas methodi leges satis refutentur, vel refutari plane non mereantur.

CAPUT II.

DE MODO CONVINCENDI.

§. 1.

Aliquem convincere quid sit?

De veritate aliquem convincere, est veritatem ipsi ea ratione proponere, ut is distinctam & evidentem illius cognitionem, quaque ad adsendendum ei vi quasi abripiatur, inde adsequatur.

§. 2.

Quaedam consecutaria.

Non igitur convinci quis poterit nisi de veritate plane certa; imo potius veritas hoc ipso certa est alicui, quod de ea sit convictus; & qui de veritate alium convincere intendit, illam ea methodo seu tali ratione proponat, ut evidentem inde illius cognitionem alter adquirat.

§. 3.

Ad alium convincendum nonnunquam sola terminorum expositione, nonnunquam etiam demonstratione opus est.

Veritates autem vel sunt ejusmodi, ut sola terminorum expositione evidenter a quovis perspician-

ciantur; veluti sunt veritates primae & indemonstrabiles; vel ad eas distincte intelligendas opus est, ut ex aliis primum veritatibus certis & indubitatis deducantur ac demonstrantur. Unde manifestum est, ad convincendum alium nonnunquam sola terminorum expositione, nonnunquam demonstratione opus esse.

§. 4.

De veritatibus alios convincere volens demonstrandi habitu polleat, necesse est.

Quandoquidem vero, ut de veritatibus alii vincantur, non raro opus sit demonstratione §. *praeced.* manifestum est, quod dicitur, de veritatibus nempe alios convincere volentem demonstrandi habitu imbutum esse oportere, *vid. hoc Lib. Part. I. Cap. 5. §. 3.*

§. 5.

Alium convincere intendens adtentionem in eo excitet ac conservet.

Cum porro ad veritatem mediante demonstratione evidenter intelligendam opus sit adtentione & saepe quidem continuata, puta, si demonstrationes aliquanto prolixiores fuerint; consequens est, ut is, qui de veritate alium convincere intendit, adtentionem in eo excitare debeat & conservare.

§. 6.

Alium concincere volens sedulo caveat, quid illius animum possit exacerbare.

Alium convincere volens ad attentionem in eo excitare & conservare debet §. *praeced.* jam vero ad attentionem nihil fere magis distrahit, quam adfectus conciti & turbulenti; unde patet, alium convincere volenti ab omni eo esse abstinendum, quo adfectus concitari, & animus alterius possit exacerbari.

§. 7.

Convinci quinam possunt?

De veritate tandem convinci non possunt, nisi qui veritatis evidentiam percipiendi, ac demonstrationis vim perspiciendi facultate pollent. Secus convictionis plane erunt incapaces; profecto aethiopem lavandum susciperet, qui hujuscemodi hominem convincere adlaboraret.

§. 8.

Argumentum ad hominem quid sit? an & quando ejusmodi argumento uti expediat?

Quodsi pro certis quidam aliqua admittat, quae certa tamen non sunt; atque haec ipsa alius, licet eorum ipse incertitudinem, imo forte falsitatem satis perspiciat, ceu principia ad demonstrandam quandam veritatem adsumat, argumento ad hominem uti dicitur; & licet ejusmodi argumen-

to urgeri plane possit ille, qui talia, licet forte falsa, pro veris tamen certisque admittit; hujusmodi tamen argumento facile utendum non est, nisi alter principia quaevis alia certa & evidentia, ex quibus illa veritas demonstranda est, temere inficietur.

C A P U T III.

DE MODO DOCENDI VIVA VOCE.

§. I.

Quaenam in hoc capite specialiter exponenda sunt?

De methodo docendi universè pluribus disputatum est *Capit. I. huj. part.* ac quae ibi dicta sunt, quemcunque seu scripto seu viva voce docentem spectant, ut veritates scilicet ordinata methodo seu taliter proponat, quo alter, qui docendus est, distinctam inde veritatum prius sibi incognitarum notitiam consequi possit, imo vere consequatur; quod ut fiat viva voce docendo, specialia quaedam & alia quidem in docente, alia in modo, quo utitur in docendo, & alia tandem in ipsis docendis requiruntur; quae requisita in capite hoc praesente paucis exponenda sunt.

§. 2.


Dotes in docente requisitae.

Dotes in docente requisitae plures sunt, quam quod in compendio omnes recenseri queant; quasdam igitur, easque magis generales modo hic indicare nobis sufficiet; sunt autem sequentes: 1. docere volens non ipsam modo disciplinam, quam traditurus est, sed & scientias cum eo connexas omnino calleat; praeterea 2. polleat habitu demonstrandi; item 3. instructus sit dono veritatem perspicue, expedite & cum suavitate, quadam proponendi; quae si quis sibi deesse deprehenderit adeo, ut nec data opera illa sibi comparare queat: quaedam enim ab indole magis, quam ab arte & industria pendent; ejusmodi omnino suadendum foret, ut missam faciat docendi provinciam, aliamque vitae rationem ineat: fatius enim est, quemadmodum nonnemo ait, non docere, quam cum aliorum ludibrio, irrisione, & utinam non etiam cum damno docere.

§. 3.

Observanda quoad modum.

Quoad modum a docente illud prae reliquis est advertendum, 1. ut in veritatibus quibusque proponendis demonstrandisque bona semper & ordinata methodo *vid. hac part. Cap. 1.* utatur ita, ut 2. Auditorum tamen genio & capacitati, quam sciscitando experiri studebit, sese adcommode. 3. Quae difficiliora sunt exemplis illustrare conabitur. 4. Ut fervorem in Auditoribus exciter, eosque sedulos reddat & adtentos, usum discendorum continuo



tinuo indicet & reipsa ostendat. 5. Ne denique continuata in seriis adtentione juniorum animi nimis defatigentur, jucundis aliquando digressionibus, moderatis tamen, & quae ad argumentum, de quo agitur, aliquid adhuc faciant, uti poterit.

§. 4.

Intuitu docendorum observanda.

Quandoquidem vero docens, utut praecepta legesque omnes adcuratissime observet, optatum tamen operae finem, Auditorum scilicet perfectum sperare non possit, nisi & ipsi quoque Auditores suum ad id conferant. Requiritur autem ex parte docendorum 1. capacitas ad ea, quae docentur, mente comprehendenda; quam cum docens docendo tribuere non possit; remittat potius, quos minus capaces, aut ineptos deprehenderit. 2. Discendi studium assiduum & indefessum; hoc in docendo excitare non raro penes docentem est, qui nihil propterea intermittat, quo illud excitetur. 3. Bona de docente existimatio; hanc sibi apud docendos comparare & constanter conservare adlaborabit docens.



CAPUT IV.
DE MODO REFUTANDI.

§. 1.

*Refutare alium quid? quot modis fieri id
possit?*

Refutare quemquam est eum erroris convincere. Unde qui refutare alium intendit, aut illius, quod adserit, falsitatem, aut oppositi veritatem ostendat perspicue, vel evidenter demonstret; si prius, directe, indirecte vero refutabit, si posterius praestiterit.

§. 2.

*Refutatio quomodo differat ab impugnatione
qualicunque?*

Hinc intelligi etiam potest, quomodo refutatio ab impugnatione qualicunque differat: impugnare enim alium dicimur, si errasse eum insufficienter, nec perspicue scilicet, nec evidenter comprobamus, aut difficultates solum aliquas contra illius adsertum obmovemus.

§. 3.

*Quaenam refutari, quaenam impugnari solum
queant?*

Ex his porro intelligitur, adsertum legitime demonstratum refutari nunquam posse: quoniam
alias

alias idipsum verum simul & falsum foret. Impugnari tamen illud adhuc poterit; poterunt nimium varia illi dubia & difficultates in speciem obverti.

§. 4.

Qua ratione sui refutandi periculum aliquis evadat?

Quo igitur aliquis adserta sua ab aliis aliquando refutari haud pertimescat, necesse est, ut eadem legitime demonstrat; quo ipso adserta opposita indirecte saltem refutat.

§. 5.

An § quantum liceat propositionem legitime demonstratam impugnare?

Propositionem legitime demonstratam refutari quidem nunquam, bene tamen impugnari posse, liquet ex praecedentibus; sed quaeritur, an & in quantum illud liceat, conveniatque? licebit autem imo conveniet intuitu Tyronum, ad capiendum scilicet periculum, num demonstrationis evidentiam sat mente comprehendant; quem in finem tam publica quam privata disputationum exercitia, de quibus mox infra diceretur, institui solent. Licebit porro, si de ipsa forte demonstrationis bonitate nondum plane constet, aut difficultates saltem aliquae ratione consequentiarum occurrant.

§. 6.

Quid ratione consequentiarum observandum sit?

Quia consequentiarum mentionem hic aliquam jam fecimus, easque rationem impugnandi propositionem etiam demonstratam esse diximus; quaedam circa consequentias ex thesi seu propositione adserta formandas probe notanda seu cavenda potius silentio praeterire non possumus. Cavendum autem 1. ne consequentiae formentur animo nocendi potius, quam impugnandi. 2. Ne, quod ex propositione adserta minime fluit, inde tamen sequi malo animo adseratur. 3. Ne tandem, quod ex thesi reipsa consequitur, eam adserenti continuo imputetur: esse enim potest, ut ejusmodi sequelam minime perspexerit. Qui plura hac de re legere cupit, legat Baumeist. *Instit. Philosoph. ration. §. 507. sequentibus.*

C A P U T V.
DE MODO DISPUTANDI.

§. 1.

Disputatio quid?

Disputatio est mutua duorum unius adserentis, qui defendens, alterius impugnantis, qui opponens dicitur, de eodem concertatio.

§. 2.

Disputationes quotuplicis sint generis?

Disputationes autem varie dividi solent: sic disputationes primum vel publicae sunt vel privatae; porro aliae sunt, quae unice veritatis seu investigandae seu tuendae causa, aliae, quae exercitii simul gratia instituuntur.

§. 3.

Quid in omni quocunque disputationis genere vel maxime sit observandum?

In omni quocunque disputationis genere vel maxime observandum venit, ut disputantes sese satis & adcurate intelligant: alias enim duorum concertatio de eodem, & ita disputatio esse desinet, sed in inanem logomachiam seu litem de nomine degenerabit.

§. 4.

Qua ratione in disputando evitandae sint logomachiae?

Quales logomachiae ut in disputando evitentur, necesse erit, ut disputantes terminis claris & perspicuis utantur, aut definitionibus saltem nominalibus obscuritatem, si qua in terminis habeatur, omnem tollant mature, prius utique, quam disputationis filum longius jam in vanum sit productum.

§. 5.

Sophismata in disputationibus vitanda.

In disputationibus, praesertim quae unice instituuntur veritatis seu investigandae seu tuendae causa, omnia cujusvis generis sophismata vid. *lib. 3. p. 2. cap. 8.* omnino evitentur. In disputationibus etiam, quae exercitii gratia fiunt, talia rarius, imo rarissime occurrant.

§. 6.

Regulae specialiores in disputando observandae.

Illud porro, de quo disputantes inter se concertant, vel adferitur ut certum, seu, quod ajunt, thesis est; vel ut probabile, & est hypothesis. Unde fluunt regulae quaedam specialiores, quarum aliae defendentem, opponentem aliae spectant; suntque sequentes:

- I. Defendentis est, ante omnia thesin dilucide explicare & rite demonstrare; nisi thesis forte omnino sit perspicua, ejusque demonstrationem opponenti, aliisque jam notam esse, sciatur.
- II. Qui hypothesis defendendam suscipit, rationes saltem probabilitatis adcurate exponat.
- III. Opponentis est, ut studeat verum primo adferri sensum, exinde intelligere etiam, an ceu thesis propugnetur, vel ut hypothesis defendatur.

IV. Theſin impugnans eandem vel directe vel indirecte ſaltem refutare conetur.

V. Hypotheſin impugnans aut nullas, aut inſufficientes tamen eſſe rationes pro hypotheſis probabilitate adductas oſtendat; quod porro vel directe vel indirecte ſaltem praeſtare conabitur.

VI. Opponens claritati, ſoliditati, item brevitati etiam ſtudeat; ac quidquid defendentis animum exacerbare, & ejus adtentionem quomocunque turbare queat, ſollicite evitet.

VII. Quodſi argumentum ab opponente propoſitum jam ſit; defendentis partes ſunt 1. Illud fideliter reſumere, ut ita pateat, num illud ſatis perceperit. 2. Argumentum probe examinare, ut diſpiciat, num illius conclusio adſerto ſuo vere opponatur, vel ne: ſi poſterius, 3. totum concedere poterit argumentum; ſi prius advertat, an forma argumenti legitima ſit; ſi vitium ſit in forma, 4. illud oſtendat; ſi forma fuerit legitima, praemiſſas examinet, & ſiquam falſam deprehenderit, 5. eam neget; ſi ambiguam, 6. tranſmittat, aut denique 7. eandem diſtinguendo reſpondeat.

§. 7.


In diſputationibus, quae exercitii gratia inſtituuntur, argumentum nimium urgeri non debet.


Quamquam veritatis ſtudium alteri cuicunque jure praeferatur: in diſputationibus tamen, praefer-
rim,


tim quae exercitii gratia instituuntur, argumen-
tum nimium urgeri non debet, maxime si sine
laesione charitatis fieri id haud possit. Quandonam
vero abrumpendum sit filium argumenti, facile in-
telliget prudens.

I. O. G. D.









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

